




UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Flos Pietatis Matutinæ, Diurnæ, Vespertinæ**

**Monasterii Westphaliæ, [ca. 1735]**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46598](#)





M. 2739.

90.

10

11

12

1. III 41

FLOS  
PIETATIS  
Matutinæ, Diurnæ,  
*Col* Vespertinæ. *J. J. Pad.*  
Aliorūmque selectissimorum  
Exercitiorum.

*Omnis etati hominūmq;  
conditioni utilissimus.*

Collectus à quodam è Socie-  
tate JESU.


*Superiorum Permissu.*

*ad usum Josephi Höischen Belli Catholici* 62

---

*Monasterii Westphalix,*  
Apud JOANNEM NICOLAUM NAGEL.

U  
J  
g  
ne  
I  
ti  
T  
ni



## P R A X I S P I E S U R G E N D I.

*Ubi statum surgendi tempus adest, sine  
morâ surge tanquam ab Angelo Cu-  
stode excitatus, & ad laudandum  
Deum evocatus, ac primam cogitatio-  
nem non de alio, quam de Deo conceipe.  
Inclama.*

## J E S U S M A R I A J O S E P H

*Muni te signo crucis, & dic. Per si-  
gnum crucis de inimicis nostris libera  
nos Deus noster.*

**D**eus Deus meus ad te de luce vigilo;  
Sicut in te anima mea, quam mul-  
tipliciter tibi caro mea.

Benedicta sit sancta, & individua  
Trinitas, nunc, & semper, & per infi-  
nita saecula saeculorum, Amen.

A 2

Glo.

Gloria Patri qui creavit nos: Gloria  
Filio, qui redemit nos: Gloria Spiritui  
Santo, qui sanctificavit nos.

*Dum surgis, dic.*

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi  
crucifixi surgo, qui me redemit prelio-  
so suo sanguine, ille me benedicat, re-  
gat, custodiat, & ad vitam perducat æ-  
ternam, Amen.

*Inter surgendum memor esto illius Apostoli:*  
Modestia vestra nota sit omnibus ho-  
minibus, Dominus enim prope est.  
*Et Angeli Custodis. De quo D. Bern.*  
Túne audes illo præsente, quod vi-  
dente me non audes?

*Dum vester induis.*

**R**Edde mihi, Pater æterne, & con-  
serva in me vestem innocentiae,  
quam perdidi in peccato Adæ, ne para-  
diso cœlesti ejiciar, Amen.

**I**ndue me Iesu Christe Rex gloriae, fra-  
grantibus virtutum tuarum vestimentis,  
humilitatis & patientiae, charitatis  
&

& castimoniæ; ut Patris cœlestis benedictionem obtineam, Amen.

**O**rna me, Sancte Spiritus, togâ polymitâ & variegatâ donorum tuorum; ut in oculis tuis gratiam inveniam, Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

*Dum Caput pectis.*

**R**epelle à me, Domine, spiritum superbiæ & immunditiæ, & orna caput meum coronâ gloria.

*Dum lavas Faciem, & Manus.*

**P**le Pelicane Jesu Domine, me immun-dum munda tuo sanguine!

*Dum Pileum imponis.*

**D**ona me, Domine, pileo libertatis Christianæ, & à vitiorum servitute me eripe.

*Indutus, pexus, lotus, aspergas te aqua Iustrali, & ante arulam domesticam fletens, magno pietatis æstu ita preceris.*

**O** Deus meus, spes, desiderium, amor meus, ameris, glorificeris ab omnibus, in omnibus, super omnia in æternum;

num; Quàm bonus fuisti hucusque erga  
me, quàm ingratus ego erga te! dete-  
stor, ex animo doleo de peccatis. En-  
paratum cor meum ex hoc momento ad  
omnem nutum tuum; omnia faciam &  
patiar hodie & semper, sicut scis & vis ad  
majorem tuam gloriam. O Deus! non  
mihi, sed tibi, & nomini sancto tuo sit  
gloria. Amen.

*I. Sis gratus.*

**A**Doro, & veneror te, ô Sanctissima  
Trinitas! te glorifico, laudo, be-  
nedico, ac totum me ante thronum Ma-  
jestatis tuæ humillimè prosterno. Tibi  
gratias ago pro universis beneficiis, ac  
nominatim pro hac nocte feliciter trans-  
acta, quod cheu! hac nocte è cubili suo ad  
tuum tribunal & inferos rapti! Vivens,  
vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego  
hodie. *Isai 38.*

*II. Cor. offer.*

**O**Pater æterne! ad te primum suspi-  
rium, & æstus cordis mei. Tibi me  
totum & omnes animæ vires, & corpo-  
ris

ris sensus, & omnia offero. Suscipe, mi  
Pater, hos novæ diei primos amores,  
eosque incendio charitatis Filii tui, me-  
ritisque conjunge: Quid enim mihi est  
in cœlo? & à te quid volui super terram?  
Deus cordis mei, & pars mea Deus in æ-  
ternum. *Psalm 72.*

*III. Opus dispone futurum.*

**E**cce mi amantissime Jesu! te aspiran-  
ter firmiter statuo, ardenti corde viani  
mandatorum tuorum currere, probi  
Christiani partes explere, consueta pie-  
tatis munia obire, virtutem castitatis po-  
tissimum sectari; universa denique &  
singula, in nomine tuo, & facere, & pa-  
ti. Utinam dirigantur viæ meæ ad cu-  
stodiendas justificationes tuas! *Psal. 118.*  
*Dic piam intentionem, quam habet pag. 5*  
*seq.*

*IV. Vita Peccatum.*

**V**eni, succurre sancte Spiritus & in  
omni discriminine peccati vacil-  
lantem præsens robora, qui spoundi-  
sti: Super aspidem & basiliscum ambu-

bulabis conculcabis leonem & draconem  
Psalm 90.

V. Subsidiumque pete.

**A**Deste mihi pariter, ô beatarum  
agmina mentium! Eja præ reliquis  
piissima Virgo Maria, cum castissimo  
sponso tuo S. Josepho succurre. Tuque  
mi Angele Custos, vosque ô vitæ meæ  
Patroni N.N. & Sancti omnes, præser-  
tim hac ipsâ luce celebres, inopem juva-  
te, ducite cæcum & claudum. Tu verò  
præ omnibus aspira, Deus meus & o-  
mnia: Siquidem, in te Domine spera-  
vi, non confundar in æternum. Psalm 30.

Commendatio ad B. M. V.

**O** Domina mea sancta Maria! me in-  
tuam benedictam fidem, ac singu-  
larem custodiam, & in sinum misericor-  
diæ tuæ, hodie & quotidie, & in horâ  
exitus mei, animam meam & corpus  
meum tibi commendô. Omnem spem  
meum, & consolationem meam, omnes  
angustias & miserias meas, vitam & fi-  
nem vitæ meæ tibi committo: Ut per  
etiam

tuam sanctissimam intercessionem, & per  
tua merita, omnia mea dirigantur, & di-  
sponantur opera, secundum tuam, tui-  
que Filii voluntatem, Amen.

*Ad S. Angelum Custodem.*

**A**ugele Dei, qui custos es mei, me  
tibi commissum pietate supernâ,  
hodie illumina, custodi, rege, & gu-  
berna. Amen.

*Ad omnes Angelos.*

**D**eus, qui miro ordine Angelorum mi-  
nisteria hominumque dispensas:  
Concede propitius; ut à quibus tibi mi-  
nistrantibus in cœlo semper assistitur, ab  
his in terra vita nostra muniatur.

*Ad Sanctos Patronos.*

**S**ancti Patroni mei N.N me piis vestris  
precibus & meritis servate à malis, ad-  
juvate in bonis omnibus, Amen.

*Ad omnes Sanctos.*

**P**rotege Domine populum tuum, &  
Apostolorum tuorum Petri & Pauli,  
& aliorum Apostolorum, omniumque  
Sanctorum & Sanctorum tecum regnan-

A g. sime

tium in cœlo, patrocinio confidentem,  
perpetuâ defensione conserva.

*Statue præsentem diem tanquam vitæ ultimū sic impendere, ut impensum voleas totâ eternitate.*

*Semper esto memor rectæ intentionis, sine quâ nullius sunt meriti difficillima etiam & excellentissima opera. Intentionis recta est, quæ cum operatur operis sui finem constituit Deum, seu, quæ omnia ad Dei gloriam & honorem ex amore DEI revocat. Hac intentia tam necessaria est volenti piè vivere, atque necessarium est spiritum ducere, volenti datur aliter vivere; idque duplii de causa. Prima, arcendæ vanæ gloria: Altera, augendis meritis. Illum igitur singulis actionibus præser-tim notabiliорibus, paucis saltem verbis, præfige dicendo: propter te Deus meus & omnia, propter te quem in fide super omnia æstimo, in spe super omnia desidero, in charitate super omnia diligo & servio secundum voluntatem tuam.*

*Im-*

*Imprimis offer omnia in unione actionum Christi, B.V.M. & omnium Sanctorum.*

P R A X I S  
*Formandi piam Intentionem.*

## OBLATIO.

## *Ad Sanctissimam Trinitatem.*

**O** Sacrosancta Trinitas, Deus meus  
Pater Fili, & Spiritus sancte, of-  
fero tibi omnia mea, corpus &  
animam, intellectum, memoriam &  
voluntatem, omnes cogitationes, verba  
& opera, etiam minima quæque; Ne-  
cessariam corporis curam & refectionem,  
sonnum & vigiliam, tristia & læ-  
ta, labores & dolores, omnes gressus &  
motiones corporis. Omnes arteriarum  
pulsus, omnes respirationes meæ erunt  
signa laudis & gloriæ tuæ, & idem signi-  
ficabunt, quod Sanctus, Sanctus, San-  
ctus Dominus Deus Sabaoth. Benedictio  
& claritas, & sapientia & gratiarum a-

A 6                         etio,

etio, honor & virtus, & fortitudo Deo  
nōstro in sēcula sēculorum, Amen.

Offero etiam hodie in unione verbo-  
rum, cogitationum & operum Christi,  
B. V. Mariæ & omnium Sanctorum, o-  
mnia verba, cogitationes & opera.

*Die Dominica.*

1. Ad honorem & gloriam Sanctissi-  
mæ Trinitatis, ac præcipue æterni Pa-  
tris & in honorem omnium Sanctorum  
& Beatorum in cœlo triumphantium.

2. In gratiarum actionem pro omni-  
bus beneficiis, imprimis pro beneficio  
creationis & vocationis ad fidem Catho-  
licam.

3. In satisfactionem pro omnibus  
peccatis.

4. Pro impetrandâ vivâ & constan-  
ti fide.

5. Pro exaltatione S. Matris Eccle-  
siæ. Pro omnibus vivis & fidelibus de-  
functis.

*Die Luna.*

1. Ad honorem & gloriam Filii Dei  
&

& Sanctissimi Nominis Jesu, & in honorem omnium Sanctorum, imprimis S. Ignatii & Patroni N. cuius nomen in sacro baptismatis fonte accepi.

2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, imprimis pro beneficio prædestinationis & justificationis.

3. In satisfactionem pro omnibus peccatis.

4. Pro obrinendâ firmâ spe & fiduciâ.

5. Pro omnibus vivis & defunctis, imprimis pro animabus his N. N. quibus v.g. sum obstrictus, vel quæ suffragiis potissimum destituantur, vel quæ B. Virginis fuerunt maximè devote &c.

*Die Martis.*

1. Ad gloriam Spiritus sancti, & in honorem omnium Sanctorum, imprimis S. Antonii de Padua, S. Catharinæ Studiosorum Patronæ, & omnium Ecclesiæ Doctorum & Confessorum, imprimis N. N.

2. In gratiarum actionem pro omni-

bus beneficiis, imprimis pro communicatione donorum Spiritus sancti &c.

3. In satisfactionem pro omnibus peccatis.

4. Pro obtainendâ ardentissimâ charitate Dei & proximi.

5. Pro vivis & defunctis. • Pro Imperio Romano, Patria & Civitate.

*Die Mercurii.*

1. Ad gloriam Dei mei, & in honorem Sanctorum Angelorum, imprimis S. Angeli mei Tutelaris: Et in honorem omnium Sanctorum, imprimis Patronorum, S. Joannis, S. Aloysii Gonzagæ.

2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, imprimis pro beneficio protectionis Angeli Tutelaris.

3. In Satisfactionem pro omnibus peccatis.

4. Pro impetrandâ castitate.

5. Pro Vivis & defunctis, imprimis pro Parentibus, cognatis, amicis, benefactoribus N. N.

*Die*

*Die Fovis.*

1. In honorem & gloriam Venerabilis & Sanctissimi Sacramenti Eucharistiae, in honorem omnium Sanctorum, imprimis S. Josephi, S. Stanislai Kostkæ & S. Barbaræ.

2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, imprimis pro beneficio institutionis V. Sacramenti Eucharistiae aliorumque, & quod mihi toties illa Sanctissima Sacra menta devotè obeundi gratia concedatur.

3. In satisfactionem pro omnibus peccatis.

4. Pro obtainendâ singulari devotione erga Venerabile Sacramentum Eucharistiae.

5. Pro Vivis & Defunctis, imprimis pro Pontifice nostro N. pro Cardinalibus, Episcopis, Prælatis, Ecclesiasticis, Clericis, Religiosis, &c.

*Die Veneris.*

1. Ad honorem & gloriam Jesu Christi crucifixi, & SS. 5. Vulnerum:

In

In honorem omnium Sanctorum, imprimis SS. Martyrum & Thaumaturgi Xaverii.

2. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, imprimis pro beneficio redēptionis.

3. In satisfactionem pro omnibus peccatis.

4. Pro impetrāndā patientiā & amo-  
re crucis.

5. Pro Vivis & Defunctis. Pro con-  
versione Ethnicorum, Hæreticorum,  
Peccatorum, & pro inimicorum salute.

*Die Sabbathi.*

1. Ad honorem & gloriam Dei, &  
in honorem omnium Sanctorum, impri-  
mis in honorem B. V. Mariæ sine macula  
conceptæ; & Ss. Virginum.

2. In gratiarum actionem pro bene-  
ficiis omnibus, imprimis pro beneficiis  
mihi per intercessionem B. V. Mariæ a-  
horūmque Sanctorum Patronorum con-  
cessis.

3. In satisfactionem pro omnibus  
pee-

peccatis vel à me vel etiam ab aliis commissis.

4. Pro impetrandâ extremâ perseverantiâ in omni bono, & pro impetrandâ felici morte.

5. Pro Vivis & fidelibus defunctis, imprimis pro omnibus Deiparæ cultoribus, pro afflictis & agonizantibus.

*Intentio brevis*

*Ante, aut etiam post aliquod opus  
per diem.*

**A**gam hoc propter te, mi Deus, vel ad intentionem matutinam: vel in unione actionum & meritorum JESU Christi, B. V. Mariæ & omnium Sanctorum: vel Mitte Domine sapientiam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut tecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te. *Sap. 9.*

*Pia Suspiria per diem.*

**E**genis occurrens, dic: Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus

*Temp.*

**T**emplum prætergrediens : Sancte N.  
 Sancta N. ora pro nobis. Si in eo affer-  
 vetor Eucharistia, caput detege, & dic.  
**A**doramus te Christe, & benedicimus tibi  
*S*i sit apertum, saluta Divinissimum Chri-  
 sti corpus, & spiritualiter communica, si  
 tempus ferat. Prax in Communionis spiri-  
 tualis vide pag. in Indice.  
**A**d effigiem Crucifixi : Qui passus es pro  
 nobis, Miserere nobis. *V*el Ave Rex  
 noster, Tu solus nostros es miseratus  
 errores: Tu es Christus Filii Dei vivi.  
**A**d imaginem Deiparae : Mater Dei me-  
 mento mei. *V*el Ave Maria, Mater  
 mea.  
**A**d hora pulsum : Nos cum Prole piab-  
 nedicat Virgo Maria. *V*el: Ave Maria.  
**H**eraria recollectio : Inquire obiter in ho-  
 ram lapsam, si quid ex virtute egeris.  
 dico: Laus Deo, Deo gratias. De de-  
 licto manu pectori admotâ, dole ac dico:  
 O cur te offendit Deus meus! amo te,  
 amabo te, doleo, detestor, propono  
 emendare, condona mihi hanc no-  
 xam.

*Cum*

*Cum obvias inimicus: Amore tui, mi Je-  
su, frango iram, & nunc amplector.*

*In tribulationibus: Hanc crucem accepto  
mi Jesu, ut te sequar.*

*Cum injuriam pateris: Patiar Domine a-  
more tui, qui in me, toties tibi injuri-  
um, tam bonus, tam benignus es.*

*In prandio & Cœna: Dulcissime JESU,  
quām amaro felle cruciata est lingua  
tua! vel: Sive manducatis sive bibitis,  
omnia in gloriam Dei facite. 1. Cor. 10.*

*Dulcibus frueris. Clama cum S. August.  
Si tanta nobis, Deus meus, præstas  
in carcere, quid facies in palatio?*

*Cum tentaris ad peccandum: Domine, tu  
scis, quia amo te; quomodo possum  
hoc malum facere! ô Jesu esto mihi  
Jesus! succurre Maria: Per sanctam  
Virginitatem tuam, & per immacula-  
tam Conceptionem tuam, purissima  
Virgo Maria, emunda cor & carnem  
meam, Amen.*

*Cœlum suspicis, exclama: O Israel! quam  
magna est domus Dei, & ingens locus  
habitationis ejus.*

*Cum*

*Cum tentaris dejectione animi, suspiras:  
Confortare ô anima mea, in proximo  
est, ut adjuveris.*

*Ante recitationem precum: Deus cui o-  
mne cor patet, & omnis voluntas lo-  
quitur, & quem nullum latet secre-  
tum: Purifica per infusionem sancti  
Spiritus cogitationes cordis nostri, ut  
te perfectè diligere, & dignè laudare  
mereamur. Per Christum Dominum  
noscum, Amen.*

*Si per cœmiteria incedis, dicio: Hæc  
constituta est domus omni viventi. O-  
mnes eò tendimus. Etiam subter te  
sternetur tinea, & operimentum tuum  
erunt vermes. Fidelium animæ per  
misericordiam Dei requiescant in  
pace.*

*Ora. Psalmum miserere, vel de profun-  
dis, si tempus ferat, pro defunctis.*

*Si calumniis fama, honórve laceratur:  
Sustine, preme altum corde dolorem  
aspice in auctorem fidei & consum-  
matorem Jesum, opprobriis satura-  
rum.*

*Ingre-*

*Ingrederis iter: In viam pacis & prospe-  
ritatis dirigat nos omnipotens & mi-  
sericors Dominus; Et Angelus Raphaël  
comitetur nobiscum in via, ut cum pa-  
ce, salute, & gaudio revertamur ad  
propria. Kyrie eleis. Christe el. Ky-  
rie el.*

*Pater noster &c.*

*v. Procedamus in pace. In nomine Do-  
mini, Amen.*

*Ora psalmum Miserere, vel de profundis,  
pro defunctis.*

---

## PRAXIS

### *Orandi ante & post Studia.*

*Cum profectus in literis plurimum à pietate & devotioratione pendeat, gratiam fructuose discendi crebro à Deo postula.  
Si templum ante & post scholas transeundum sit, in illo alias in schola vel si-  
lentio studia tua Deo offer per manus B.  
Virginis & S. Angeli Custodis, gratiām-  
que proficiendi.*

*Gra-*

*Oratio D. Thomæ Aquinatis ante  
studia.*

**C**reator ineffabilis, Domine Deus,  
Gac Deus meus, qui de thesauris sa-  
pientiae tuæ novem Angelorum choros  
condististi, & eos super cœlum empy-  
reum miro ordine collocasti, atque ele-  
gantissimè partes universi distribuisti; tu  
inquam qui verus fons luminis & sapien-  
tiæ diceris, atque supereminens princi-  
pium, infundere digneris super intel-  
lectus mei tenebras tuæ radium clarita-  
tis, duplices à me removens tenebras,  
peccatum scilicet & ignorantiam, in qua  
natus sum. Tu qui linguas infantium fa-  
cis esse disertas, linguam meam erudias,  
atque in labiis meis gratiam tuæ bene-  
dictionis infundas, da mihi intelligen-  
di acumen, retinendi capacitatem, in-  
terpretandi subtilitatem, addiscendi fa-  
cilitatem & loquendi gratiam copiosam.  
Ingressum instruas, progressum dirigas,  
egressum compleas. Per Christum Do-  
minum nostrum, Amén.

*Oratio*

*Oratio alia.*

**V**erbum Patris æternum & sapientiæ fons effusissime, Domine Jesu Christe, dicilitatem mentibus nostris & intelligentiæ lumen infunde: ut feliciter nobis cedant hæc litterarum studia; quibus adjuti ad clariorem tui agnitionem, æternæque veritatis, & perfectum amorem bonitatis tuæ pervenire possimus. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum, Amen.

*Ante studia dum librum aperis, die.*

Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus, lucis tuæ radium.

Tot tibi sint laudes, Jesu, quot grammata scribo, *vel* lego.

Tot quoque sint laudes, Virgo Maria, tibi.

*Post studia dum librum claudis.*

Tot tibi sint laudes Jesu, quot grammata scripsi, *vel* legi.

Tot quoque &c.

*Oratio post studia.*

**I**nfundere, quæsumus Domine, cordibus no-

nostris lumen sapientiæ tuæ, ut te vera-  
citer cognoscamus, & fideliter diligamus.  
Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæcu-  
lorum, Amen.

## P R A X I S

*Orandi ad trinum pulsuum.*

1. Angelus Domini nunciavit Mariæ,  
& concepit de Spiritu sancto, Ave Maria.

2. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, Ave Maria.

3. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ave Maria.

Fidelium animæ per misericordiam  
Dei requiescant in pace.

Omnipotens faustam donet mortali-  
bus horam.

*Pete benedictionem.*

Nos cum Prole piâ, benedicat Virgo  
Maria.

*Vel dic cum D. Joanne.* Mater amabi-  
lis, ex hac hora te accipio in Matrem

*Quem illa filiam respuat in hora mortis,*  
*toties electa in Matrem?*

DE

# DE SACRIFICIO MISSÆ.

**S**acrūm est totius vitæ ac mortis Christi Domini vera & vivare repræsentatio, & iterata oblatio.

Primarius sacrificans est ipse Christus, cuius Vicarius est Sacerdos, qui Christi personam gerit: Unde illius

1. Tonsura significat coronam spiritualēam.

2. Humerale, velamen oculorum Christi.

3. Alba, illusoriam vestem Herodis.

4. Cingulum, Manipulus, Stola, funes & vincula Christi.

5. Casula, Vestem purpuream, Crux & casula, crucem Christi.

6. Calix, dolores in cruce, & sanguinis effusionem.

7. Corporale, syndonem, quā à morte, Christicorpus involutum fuit.

8. Altare, montem Calvarie.

Sacri tres sunt partes, I. Refert vi-

B tam

tam Christi gratosam, ab initio usque ad oblationem. II. Vitam Christi paenitentiam seu passionem, ab oblatione usque ad communionem. III. Gloriosam, à communione ad finem.

*Ad Sacrum tendens, cum modestia Angelica incede, cogitans te pergere ad tremendum Missæ Sacrificium.*

### PRAXIS I.

#### Audiendi Sacrum.

*Intentionem pro Sacro audiendo præmitte, juxta praxin intentionis macutina singularis hebdomadis diebus accommodata.*

*Vel illam quam habes pag. 28. & seq. Tres sunt præcipuae partes Sacri, ad quas attendendum: scilicet oblatio, consecratio, sumptio.*

*Considera mysteria vitæ & passionis Christi Domini in Missa representata.*

1. Sub descensu Sacerdotis ex altari, considera Christum incarnatum.

2. Sub Introitu & Kyrie, desideratum

2. Sub

3. Sub Gloria, Christum natum.
4. Sub Collectis, agentem vitam pri-  
vatam.
5. Sub Evangelio concionantem.
6. Sub Offertorio, anhelantem ad ulti-  
mam cœnam, & crucem.
7. Sub Prefatione, ingredientem Hie-  
rosolymam.
8. Sub Canone passum.
9. Sub Elevatione, crucifixum.
10. Sub fractione hostiæ mortuum.
11. Sub Communione, sepultum.
12. Ad Dominus vobiscum, resurgentem.
13. Sub Benedictione, ad cœlos ascen-  
dentem.
14. Sub Evangelio S. Joannis, ventu-  
rum judicem.

Hac mysteria considerans, simul elice-  
actus fidei, spei, charitatis, contritionis,  
compassionis, gaudii, gratitudinis, adora-  
tionis, glorificationis. V.g. Ad Kyrie, no-  
vies cum Sacerdote petendo, ut tui Deus  
misereatur. Ad Gloria, cum Sacerdote,  
prosequendo, laudamus te, benedicimus te,

Bz ad-

adoramuste &c. Ad Evangelium & cre-  
do, ad singulos articulos ex corde dicendo,  
credo, credo.

## P R A X I S II,

Et facilior audiendi sacrum.

1. Templum ingressus, & aquâ lustra-  
li aspersus, genu flectens mox adora Chri-  
stum in Venerabili Sacramento, dicens,

Adoro te devotè latens Deitas, quæ  
sub his figuris verè latitas; Tibi se cor-  
meum totum subjicit, quia te contem-  
plans totum deficit, Ave Jesu &c.

2. Recita tardè & piè preces quotidi-  
anas, & sequentes ad præcipuas missa  
partes,

## I N T E N T I O.

**S**uscipe S. Trinitas, unus Deus, hoc  
sacrosanctum Sacrificium Corporis &  
Sanguinis Domini nostri Jesu Christi,  
quod ego indignus peccator unà cum  
Sacrificiis omnibus, tibi unquam obla-  
tis aut offerendis, unitum sanctissimo  
Sacrificio, ab eodem Domino nostro  
in

in ultimâ cœnâ & arâ crucis oblato;  
 offero Divinæ Majestati tuæ, per ma-  
 nus Sacerdotis omni possibili pietatis  
 affectu, ex puro amore tuæ infinitæ bo-  
 nitatis, secundum sanctissimam Domini  
 nostri, & S. Matris Ecclesiæ intentio-  
 nem. 1. Ad maximam æternamque  
 divinæ Majestatis tuæ gloriam, venera-  
 tionem, amorem & beneplacitum. 2. In  
 perpetuam commemorationem passio-  
 nis ac mortis dilectissimi Filii tui. 3. In  
 honorem augmentumque gloriæ B. V.  
 Mariæ, totiusque curiæ triumphantis.  
 4. In gratiarum actionem pro omnibus  
 beneficiis sanctissimæ Incarnationi D.N.  
J. C. B. Virginis Matri ejus, omnibus  
 Sanctis, & mihi indignissimo hue usque  
 collatis & conferendis in æternum. 5. In  
 satisfactionem peccatorum meorum,  
 omniumqñe fidelium vivorum & defun-  
 ctorum. 6. Ad impetrandam gratiam  
 tuam & opem in re ista NN. 7. Pro pa-  
 rentibus, amicis & benefactoribus meis,  
 maximè ipsis NN. Pro fidelibus defun-

B 3

atis,

atis, potissimum istis N.N. Pro omnibus,  
pro quibus orare teneor. Suscipe & per-  
fice hoc desiderium meum, ô sanctissi-  
ma Trinitas, uberemque ad pie id com-  
plendum gratiam & benedictionem lar-  
gire, Amen.

*Ad Offertorium.*

**O**Pater æterne, qui sanctissimum  
hoc novæ legis Sacrificium, quo  
unigenitus Filius tuus tibi offerretur, in-  
stitui voluisti; hunc & ego divinæ Majes-  
tati tuæ, méque ipsum totum in ejus-  
dem unione offero. Respice in faciem  
Christi tui, & miserere mei.

*Ad oblationem Hostie.*

**S**uscipe sancte Pater, omnipotens æ-  
ternæ Deus, hanc immaculatam ho-  
stiam, quam ego indignus famulus tuus  
(unà cum Sacerdote ad aram faciente )  
offerо tibi Deo meo, vivo & vero pro  
innumerabilibus peccatis & offenditori-  
bus & negligentiis meis, & pro omni-  
bus circumstantibus, sed & pro omni-  
bus fidelibus Christianis vivis atque de-  
fun-

functis, ut mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam, Amen.

*Ad oblationem Calicis.*

**O**fferimus tibi Domine Calicem salvataris; tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ pro nostrâ & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat.

*Ad Sanctus.*

**O** Amantissime Iesu ! in vulnus sacramenti num dexteræ manûs tuæ commendo tibi Pontificem, Cardinales, Archi-Epicopos, Episcopos, Pastores, Sacerdotes, omnesque Clericos ac Religious, præsertim N. N. 2. In vulnus sinistræ manûs tuæ commendo tibi Imperatorem nostrum; Reges ac Príncipes Christianos. 3. In vulnus dexterî pedis tui commendo tibi Parentes meos, Fratres, Sorores, Cognatos, Amicos, Benefactores & NN. 4. In vulnus sinistri pedis commendo tibi omnes Infideles, Hæreticos & peccatores, præsertim agonizantes. 5. In vulnus sacratissimi late-

ris tui commendabo tibi, ô Jesu, corpus  
& animam meam vivens & moriens. Ac  
per sanctissima vulnera tua te rogo atque  
obtestor, ut mihi prædictisque omnibus  
gratiam copiosam, charitatem perfe-  
ctam, de hostibus visibilibus & invisibili-  
bus victoriam & felicitatem æternam  
largiri digneris, Amen.

*Ad elevationem sacrae Hostiæ, ter pectus  
tunde, & dic.*

Credo in te, ô suprema Veritas!

Spero in te, ô æterna Felicitas!

Amo te, ô infinita Bonitas!

**A**ve verum Corpus, natum de Ma-  
ria Virgine, verè passum, immo-  
latum in cruce pro homine; esto nobis  
prægustatum in mortis examine. O Je-  
su! ô pie Fili Mariæ miserere nobis.

*Ad elevationem Calicis sacri.*

**O**Jesu amantissime! per pretiosissi-  
mum sanguinem tuum, miserere mei.  
Per sacro sancta Vulnera tua, miserere  
mei.

mei. Per dolorosissimam mortem tuam,  
miserere mei.

**S**Alve nobilis & pretiose Sanguis de  
Vulnibus Domini mei Jesu Christi  
profluens, & peccata totius mundi ab-  
luens. Ablue, sanctifica, & custodi ani-  
mam meam in vitam æternam.

*Pro eligendo vite statu.*

**D**omine quid me vis facere. *Acto 9.*  
Vias tuas demonstra mihi, & sem-  
tas tuas edoce me. *Psalm 24.* Paratum  
eorum meum Deus, paratum cor meum,  
tantum voca me, & te sequar quocun-  
que vocaveris. O Domine Jesu Christe,  
amor animæ meæ, per quinque vulne-  
ra tua in cruce pro nobis accepta obse-  
cro per opem. Da nobis Domine, da no-  
bis sanctissimæ voluntatis tuæ perfectis-  
simè semper agnoscendæ & adimplendæ  
gratiam *S.F Xaverius.*

*Oratio pro defunctis.*

**M**emento Domine famulorum, fa-  
B 5 mu-

mularumque tuarum NN. in tui nominis confessione defunctorum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis; ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

### P R A X I S

#### Communionis spiritualis.

*Ad Agnus Dei, dole de admissis. ut sis  
in statu gratiae.*

**M**I Deus doleo de peccatis meis,  
quia te summum bonum offendit.  
Propono emendationem, & statuo nullo unquam peccato, imprimis gravi,  
te deliberatè offendere. Deus propitius esto mihi peccatori. Agnus Dei,  
qui tollis peccata mundi, miserere nobis. *Id repeate tertio.*

*Dum Sacerdos tacite orat. excita fervens  
desiderium S. Communionis, & dicio.*

**Q**uemadmodum desiderat cervus ad  
fontes

fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Te solum peto mi Jesu, & nihil extra te, & omnia in te.

*Ad Domine non sum dignus. Humilia te, & indignitatem tuam agnoscens, dic.*

**Q**uis es tu, mi Jesu, & quis ego, qui te frui desidero. Tu es omnia ego nihil, tu Deus, ego homo, tu Optimus, Maximus, ego inter justos minimus, & maximus inter peccatores. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo. *Id repeate tertio.*

*Quando Sacerdos sumit S: Hostiam, & tu desiderium sumendi, tēque Christo Domino uniendi renova, corde ferventi suspirans.*

Credo in te ô suprema Veritas,  
Spero in te ô æterna Felicitas,  
Amo te ô infinita Bonitas.

Veni Domine, & noli tardare.

**A**nima Christi sanctifica me: Corpus Christi salva me: Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me: Passio Christi conforta me: O bone Jesu exaudi me: Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari à te: Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ voca me; Et jube me venire ad te: Ut cum Sanctis tuis laudem te, in sæcula sæculorum. Amen, Denique age gratias.

*Ad ite Missa est.*

**P**laceat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus ego (unà cuin Sacerdote) obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obruli sit te miserrante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

**A**sperge me sacerdote benedictionem, velut a Christo in cœlum ascidente accipe.

PRA-

## P R A X I S

## Orandi Rosarium.

**A**d crucem dicitur credo, ad majora grana Pater noster, ad minora Ave Maria. Ad tria minora grana ante decades, post Jesus adde:

Qui adaugeat nobis fidem.

Qui corroboret nobis spem.

Qui perficiat in nobis charitatem.

*Ab Adventu usq; ad Quadragesimam post Jesus, adde in salutatione angelica*

In 1. Decade: Quem Virgo concepisti.

In 2. Quem visitando Elisabeth portasti.

In 3. Quem virgo genuisti,

In 4. Quem in templo praesentasti,

In 5. Quem in templo invenisti.

*Ad bina & bina grana sextæ decadis  
repete unum ex 5 precedentibus mysteriis.*

In Rosario Doloroso.

*Ad tria minora grana hec insere:*

In 1. Qui intellectum nostrum illuminet.

In 2. Qui voluntatem nostram perficiat.

In 3. Qui memoriam nostram reboret.

*Ad singulas decades intersere & non nihil expende sequentia.*

In 1. Qui pro nobis sanguinem sudavit.

In 2. Qui pro nobis flagellatus est.

In 3. Qui pro nobis spinis coronatus est.

In 4. Qui pro nobis crucem baulavit.

In 5; Qui pro nobis crucifixus est.

*In sexta decade fit repetitio,  
ut supra:*

In Rosario Glorioso.

*Ad tria minora grana, infere:*

In 1. Qui cogitationes dirigat.

In 2. Qui verba moderetur.

In 3. Qui gubernet opera.

*Ad singulas decades intersere & expende  
sequentia mysteria.*

In 1. Qui surrexit à mortuis.

In

- In 2. Qui in cœlum ascendit.  
 In 3. Qui spiritum sanctum misit.  
 In 4. Qui te assumpsit.  
 In 5. Qui te in cœlis coronavit.



# OFFICIUM DeConceptioneImmaculata B. MARIAE V.

Correctum ad Exemplar

*Romanum.*

## AD MATUTINUM

**E**Ja labia mea nunc annunciate Lau-  
des & præconia Virginis Immacu-  
latæ:

- ¶. Domina in adjutorium meum in-  
tende,  
 ¶. Mc de manu hostium potenter de-  
fende. Gloria Patri &c.

*Hy-*

*Hymnus.*

**S**alve mundi Domina,  
Cælorum Regina:  
Salve Virgo Virginum,  
Stella matutina.

Salve plena gratiæ,  
Clara lux divina  
Mundi in auxilium  
Domina festina.

Ab æternō Dominus  
Te præordinavit  
Matrem unigeniti  
Verbi, quo creavit  
Terram, pontum, æthera:  
Te pulchram ornavit  
Sibi sponsam, quæ in  
Adam non peccavit.

¶. Elegit eam Deus, & præelegit eam.  
¶. In tabernaculo suo habitare fecit  
eam.  
¶. Domina protege orationem meam.  
¶. Et clamor meus ad te veniat.

*Oremus.*

**S**ancta Maria, Regina cælorum  
Ma-

Mater Domini nostri JESU Christi,  
 & mundi Domina, quæ nullum re-  
 linquis, & nullum despicias, respice me  
 Domina clementer oculo tuæ pietatis, &  
 impetrâ mihi apud tuum dilectum Filium  
 cunctorum veniam peccatorum: Ut qui  
 nunc tuam sanctam & immaculatam  
 Conceptionem devoto affectu recolo, æ-  
 ternæ in futurum beatitudinis bravium  
 capiam, ipso, quem Virgo peperisti, do-  
 nante Domino nostro Iesu Christo, qui  
 cum Patre & sancto Spiritu vivit & reg-  
 nat in Trinitate perfecta Deus in sœcu-  
 la sœculorum, Amen.

¶. Domina protege orat. &c.

¶. Benedicamus Domino.

¶. Deo gratias.

¶. Et fidelium animæ per miser. &c.

A D P R I M A M.

¶. Domina in adjutorium meum intende.

¶. Me de manu hostium potenter defende.

*Hymnus.*

**S**Alve Virgo sapiens,  
**S**Domus Deo dicata,

Co-

Columna septemplici,  
Mensáque exornata.

Ab omni contagio  
Mundi præservata,  
Ante sancta in utero  
Parentis, quām nata.

Tu Mater viventium,  
Et porta es Sanctorum,  
Nova Stella Jacob,  
Domina Angelorum,  
Zabulo terribilis,  
Acies castrorum,  
Portus & refugium  
Sis Christianorum.

- V. Ipse creavit illam in spiritu Sancto.  
 Rx. Et exaltavit illam inter omnia opera sua.  
 V. Domina protege orationem meam.  
 Rx. Et clamor meus ad te veniat.

*Cum oratione pag. 46. & 47.*

A D T E R T I A M.

- V. Domina in adjutorium meum intende  
 Rx. Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri. &c.

*Hy-*

*Hymnus.*

**S**Alve Arca fæderis,  
Thronus Salomonis,  
Arcus pulcher ætheris,  
Rubus visionis:

Virga frondens germinis,  
Vellus Gedeonis,  
Porta clausa Numinis,  
Favisque Samsonis.

Decebat tam nobilem  
Natūm præcavere,  
Ab originali  
Labe matris Evæ;

Almam, quam elegerat,  
Genitricem verè,  
Nulli prorsus sinens  
Culpæ subjacere.

V. Ego in altissimis habito.

R. Et thronus meus in columna nubis.

V. Domina protege orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

*Cum oratione pag. 46. & 47*

**A D S E X T A M.**

V. Domina in adjutorium meum intende.

R. Me

¶. Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri &c.

*Hymnus.*

**S**Alve Virgo puerpera,  
Templum Trinitatis,  
Angelorum gaudium,  
Cella puritatis;  
Solamen mærentium,  
Hortus voluptatis,  
Palma patientiæ,  
Cedrus castitatis.

Terra es benedicta,  
Et sacerdotalis.  
Sancta, & immunis,  
Culpæ originalis.

Civitas Altissimi.

Porta Orientalis,  
In te est omnis gratia,  
Virgo Singularis.

¶. Sicut lilym inter spinas.

¶. Sic amica mea inter filias Adæ.

¶. Domina protege orationem meam.

¶. Ecclamor meus ad de veniat.

Dum oratione pag. 46. § 49.

Ad

## AD NONAM.

℣. Domina in adjutorium &amp;c.

*Hymnus.*

**S**Alve urbs refugii,  
Turrisque munita  
David propugnaculis  
Armisque insignita.

**I**n Conceptione  
Charitate ignita,  
Draconis potestas,  
Est à te contrita.

**O** Mulier fortis,  
Et invicta judith.  
Pulchra Abifai Virgo,  
Verum fovens David.

**R**achel curatorem  
Ægypti gestavit;  
Salvatorem mundi,  
Maria portavit.

℣. Tota pulchra es amica mea,

℟. Et macula originalis nunquam fuit  
in te.

℣. Domina protege &amp;c. ℟. Et clamor &amp;c.

*Cum oratione pag. 46. & 47.**Ad*

## AD VESPERAS.

¶. Domina in adjutorium &c.

*Hymnus.*

**S**alve horologium,  
Quo retro gradiatur  
Sol in decem lineis,  
Verbum incarnatur.  
Homo ut ab inferis  
Ad summa attollatur,  
Immensus ab angelis  
Paulò minoratur.  
Solis hujus radiis  
Maria coruscat,  
Con surgens aurora  
In conceptu nuncat:  
Lilium inter spinas,  
Quæ serpentis conterat  
Caput, pulchra ut Luna  
Errantes collustrat.

¶. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen in-  
deficiens.

¶. Et quasi nebula texi omnem terram.

¶. Domine protege &c. ¶. Et clamor &c.

*Cum oratione pag. 46. § 47.*

AD

## AD COMPLETORIUM.

¶. Convertat nos, Domina, tuis preci-  
bus placatus, Jesus Christus Filius tuus.

R. Et avertat iram suam à nobis.

¶. Domina in adjutorium &c.

*Hymnus.*

**S**Alve Virgo florens,  
Mater illibata,  
Regina clementiae,  
Stellis coronata:  
Supra omnes Angelos  
Pura, immaculata,  
Atque ad Regis dexteram  
Stans veste deaurata.

Per te Mater gratiae,  
Dulcis spes reorum,  
Fulgens stella maris,  
Portus naufragorum:

Patens coeli janua,  
Salus infirmorum.

Videamus Regem  
in aula Sanctorum. Amen.

¶. Oleum effusum, Maria, nomen tuum:

Ser-

¶. Servi tui dilexerunt te nimis.

¶. Domina protege &c. ¶. Et clama-  
mor &c.

¶. Benedicat custodiat nos omnipotens  
& misericors Dominus Pater & Fili-  
us & Spiritus sanctus.

¶. Amen. Cum oratione pag. 46. & 47.  
*Commendatio.*

**S**Uplices offerimus  
Tibi Virgo pia,  
Hæc laudum præconia  
Fac nos ut in via  
Ducas cursu prospero,  
Et in agonia  
Tu nobis afflste.

O dulcis maria. Amen.

Deo gratias.

*Ant.* Hæc est virgo, in qua nec nodus O-  
riginalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

¶. In Conceptione tua, Virgo imma-  
culata fuisti.

¶. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium  
peperisti

*Oratio.*

*Oratio.*

**D**eus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: Quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisam ab omni labore præservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per Dominum nostrum &c.

**M.** Immaculata B. Mariae Virginis Concepio.

**M.** Sit nobis præsidium & protectio.

*Litanias Laureranas Beatae Virginis vide pag. 65.*

*Oratio.*

Quâ B. Virgo in Patronam eligitur.

**S**ancta Maria, Mater Dei & Virgo, Egō N. licet indignissimus, qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia, confisus, eligo te hodie coram Angelo meo Custode & tota cœlesti curia in meam Matrem & peculiarem Domi-

C

nam.

nam, Patronam & Advocatam, firmiterque propono, me deinceps tibi, & Filio tuo servire velle fideliter, & adhaerere perenniter. Obsecro te, Mater saleratissima, suscipe me in curam & tutam tuam, & adsis mihi in omnibus periculis & angustiis hodie & totâ vitâ meâ, sed præcipue assistas mihi in hora mortis meæ, Amen.

*Alia oratio ad B. Virginem.*

**M**Emorare, ô piissima Virgo Maria, non esse auditum à saeculo, quemquam ad tua currentem præsidia, & tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia à te derelictum. Ego tali animatus fiduciâ ad te, Virgo Virginum, Maria, Mater Jesu Christi, confugio, ad te curro, coram te gemens peccator & tremens assisto: Noli ô Domina mundi, noli æterni Verbi Mater, verba mea despicere, sed audi propitia, & exaudi me miserum ad te in hac lachrymarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc & sem-

semper, maximè in hora mortis meæ.  
O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

*Ad S. Michaëlem Archangelum.*

**O**Cœlestis militiæ Princeps, S. Mi-  
chaël, qui superbū Luciferū cum  
omnibus suis asseclis in gehennæ bar-  
athrum deturbâsti. O Ecclesiæ defensor ac  
protector, ô animarum ex hac vita mi-  
grantium præses, succurre animæ meæ  
in agone constitutæ, quam tibi nunc  
enixè commendo. Tu eam contra o-  
mnes hostiles incursus protege. Tu de-  
functæ patrocinium suscipe, & contra  
omnes dæmonum insidias defensam, ad  
Paradisi gaudia admitte, ubi cum omni-  
bus Angelis Deum æternis laudibus de-  
prædicet, Amen.

*Ad S. Angelum Custodem.*

**O**Fidelissime comes, à Deo tutelæ  
meæ assignate, protector & defen-  
sor meus nunquam recedens à latere  
meo. Quæstibi gratias referam pro fi-  
de, amore, innumerisque in me colla-  
tis beneficiis? Tu dormienti advigilas,

mæstum solaris, dejectum erigis, im-  
minentia pericula avertis, futura doces  
cavere, à peccatis adstrahis, ad bonum  
impellis: Lapsum ad pœnitentiam hor-  
taris, Deoque concilias; Jam dudum  
fortassis in infernum detrusus fuisse,  
nisi tuis precibus divinam à me iram a-  
vertisse, Ne, precor, me unquam de-  
feras. Ne in peccata incidam advigila, &  
ad virtutes impelle, in adversis solare,  
in prosperis contine, in periculis tuere,  
in temptationibus adjuva, ne iis unquam  
succumbam. Preces & gemitus meos,  
omniaque pia opera divino conspectui  
offer, atque effice, ut in gratia ex hac per-  
veniam ad vitam æternam, Amen.

*Oratio ad SS. Patronos.*

*Oratio, quâ S. Joseph, vel alias Sanctus ;  
pancis mutatis, in Patronum  
eligitur.*

**O** Sancte Joseph, Redemptoris mei  
Christi Jesu fidelis Oeconome ac Nu-  
tri-

tritie, castissimæ Virginis Deiparæ Sponsæ : Ego N. te hodie in Patronum & Advocatum meum singularem eligo , firmiterque propono, me nunquam te derelicturum , nec permisurum , ut à quocquam ex meis subditis aliquid contrarium honorem agatur. A te id igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora mortis meæ cum Iesu & Mariâ succurrere, defendere ac protegere digneris , Amen.

*Ad S. Patronum, cuius quis nomen  
habet, V. G. S. Joannem.*

**O** Sancte N. qui in sacro baptismatis fonte mihi in Patronum datuſ es : In te singularem auxilii spem colloco, deprecorque, ut pedes meos dirigas in viam virtutis, pacis, prosperitatis, & salutis æternæ. Ut à virtutum trainite ad vitæ tuæ exemplar non discedam : mei quoque in periculis tam animæ, quam corporis curam & custodiam suscipe , in cœlis pro me ora , in terris me doce , re-

ge & gubernā, in extremo mortis articulo succurre, & cum Iesu Deo meo, mariā matre ejus, novem Angelorum choris, omnibusque Sanctis, viæ vitæ æternæ comes occurre: Ut cum iis & tecum partem æternæ gloriæ habere merear in cœlis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Ad S. Franciscum, vel Ignatium, vel Antonium, vel alium Sanctum Patronum aut Patronam paucis mutatis.*

**S**alve, ô electe mi apud divinam majestateim Advocate, Sancte N. Salve, & bonitate consuetâ respice me humillimè te venerantem, & auxilium tuum implo-  
rantem, Ad sis mihi ô Sancte N. ut quid quid rerum agam, ad majorem Dei glo-  
riam id ipsum dirigatur. Protege me contra tentationes inimici, nec permitte, ut tentationibus succumbens malignâ delectatione aut consensu peccem. Sed impetra, ut tentationibus superatis in virtutibus proficiam, potissimum vero obse-

obsecro, ut adveniente tandem mortis hora auxilio mihi sis, ne obdormiat in morte anima mea, propterea hoc maximè exopto, ut ultimus cibus meus sit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: Ultimæ cogitationes meæ de amara Domini Jesu Passione & vulneribus, & ultima verba mea: Jesus Maria, Joseph.

*Ad S. Patronum studiosorum v. g. S. Augustinum, Thomam Aquinatem, vel alium similem.*

**O** Vir ineffabilis, ô virtutum vas admirabile, ô diadema honoris & gloriæ, ô lampas præfulgida doctrinæ radiis Ecclesiam universam collustrans, Sancte N. quæso tui servuli quanquam vilissimi recorderis, ut tuis intercessiōnibus emunder, tuaque gubernatione recto tramite in studiis meis procedam, tuis defensionibus ab inimicis mihi semper insidiantibus protegar, tuoque sancto ductu salutis attingam portum. Per Christum Dominum nostrum.

*Ad S. Catharinam Patronam studioſorum, vel aliam Virginem mutato nomine.*

**S**Alve S. Catharina Virgo benedicta,  
Regis aeterni Sponsa, obsecro te, ut  
quibuscumque necessitatibus & tribula-  
tionibus gravatus fuero, levamen &  
auxilium, & præcipue in studiis meis  
per tuam intercessionem apud Deum  
accipiam: Iterum te precor, ô Virgo  
S. Catharina, ut pro me miserrimo pec-  
catore Dominum Deum orare digneris,  
ut misereatur mei; Suamque mihi gra-  
tiam largiatur, quâ carnis illecebras &  
mundi voluptates possim contemnere,  
omniaque tum animæ tum corporis pe-  
ricula superare; Atque unâ tecum aeter-  
no gaudio perfui. Per Christum Do-  
minum nostrum.

*Ad omnes Sanctos.*

**O**Felices Sancti Dei omnes, qui iam  
transiistis hujus mortalitatis pela-  
gus, & pervenire meruistis ad portum  
perpetuae quietis, securitatis, pacis:  
Se-

Securi & tranquilli, semperque festivi  
atque gaudentes estis: Obsecro vos per  
vestram charitatem, qui securi estis de  
vobis, solliciti estote de nobis: Securi  
estis de vestra immarcessibili gloriâ, so-  
liciti estote de nostra multiplici miseria.  
Per ipsum vos rogo, qui vos tales fecit,  
de cuius beatissima visione semper gau-  
detis, Amen,

*Si Festum alicuius Sancti incidat, omnia  
diei opera per Sanctum illius diei Deo  
offer, Et virtutem, quam Sanctus pra-  
celluit, imitare.*

### *Orationes pro Defunctis.*

*Psalmus 129 Davidis.*

**D**E profundis clamavi ad te Domi-  
ne: Domine exaudi vocem meam  
Et ant aures tuæ intendentes in vocem  
deprecationis meæ.

**S**i iniquitates observaveris Domine;  
Domine quis sustinebit?

C s

Quia

Quia apud te propitiatio est: Et propter  
legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:  
Speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem:  
Speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia:  
Et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: Ex omnibus  
iniquitatibus ejus. Gloria Patri, & Fi-  
lio &c.

*Psalmus 50.*

**M**iserere mei Deus: Secundum ma-  
gnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem milera-  
tionum tuarum: Dele iniquitatem  
meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea:  
Et à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego co-  
gnosco: Et peccatum meum contra me  
est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te  
feci:

feci: Ut justificeris in sermonibus tuis  
& vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus  
sum: Et in peccatis concepit me mater  
mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: In-  
certa & occulta sapientiae tuæ manife-  
stasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor:  
Lavabis me, & super nivem dealba-  
bor.

Auditui meo dabis gaudium & læti-  
tiam: Et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis:  
Et omnes iniquitates meas dèle.

Cor mundum crea in me Deus: Et  
spiritum rectum innova in visceribus  
meis.

Ne projicias me à facie tua: Et Spi-  
ritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: Et  
spiritu principali confirmame.

Docebo iniquos vias tuas: Et impi  
ad te convertentur.

Li-

Libera me de sanguinibus Deus,  
Deus salutis meæ : Et exultabit lingua  
mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies : Et os  
meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, de-  
dissem utique ; Holocaustis non cele-  
staberis.

Sacrificium Deo spiritus contribula-  
tus : Cor contritum & humiliatum Deus  
non despicies.

Benigne fac Domine, in bona volun-  
tate tua Sion : Ut ædificantur muri Jeru-  
salem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae,  
oblationes & holocausta : Tunc impo-  
nent super altare tuum vitulos, Gloria  
Patri &c.

*Oremus.*

Deus, veniæ largitor, & humanæ  
salutis amator : Quæsumus clemen-  
tiam tuam, ut nostræ congregationis  
fratres, propinquos & benefactores,  
qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ

Ma-

Mariâ semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

**F**idelium, Deus, omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: Ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in saecula saeculorum. **R.** Amen.

**V.** Requiem æternam dona eis Domine.

**R.** Et lux perpetua luceat eis.

**V.** Requiescant in pace. **R.** Amen.

*Pro defuncto vel defuncta.*

**A**bsolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. (famulæ tuæ N.) ut defunctus (defuncta) saeculo, tibi vivat: Et quæ per fragilitatem carnis humanæ conversatione commisit, tu veniam misericordissimæ pietatis absteige. Per Dominum nostrum &c.

*Pro*

*Pro Patre vel Matre defuncta.*

**D**euſus, qui nos Patrem & Matrem ho-  
norare præcepisti: Miserere clementer  
animæ Pattris mei N. (Matri meæ N.)  
meque eum ( eam ) in æternæ claritatis  
gaudio fac videre. Per Dominum &c.

## P R A X I S

*Piè prandendi.*

*Ad mensam vocatus, inter eundum co-  
gita: Volo comedere & bibere ad ho-  
norem Iesu & Mariæ, vel quia est vo-  
luntas Dei.*

*Benedictio mensæ.*

**O**culi omnium in te sperant Domine,  
& tu das escam illorum in tempore  
opportuno. Aperis tu manum tuam &  
imples omne animal benedictione. Glo-  
ria Patri & Filii & Spiritui sancto; Sicut  
erat in principio, & nunc, & semper,  
& in saecula saeculorum, Amen.

*Kyrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison. Pater noster &c.*

*Ore-*

## Oremus.

**B**enedic Domine nos, & hæc tua do-  
na, quæ de tua largitate sumus sum-  
pturi, per Christum Dominum nostrum,  
Amen,

*Dum confessi, intentionem renovas, di-  
cendo: Quot inicas comedo, quot  
guttas bibo, tot tibi sint laudes Jesu:  
ut tibi serviam, tibi vivam & moriar.*

*L*eges decori in mensa observa. Potissi-  
mum attende, ne cibo aut potu sic te  
oppleas, ut ad studia aliisque munia ine-  
ptus è mensa surgas; Tantum comedere  
& bibere, quantum non sensualitas, sed  
justa necessitas postulat:

## Gratiarum actio post mensam:

**A** Gimis tibi gratias omnipotens  
Deus pro universis beneficiis tuis;  
Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum,  
Amen.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie  
eleison. Pater noster &c.

¶. Sit

V. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

**R**eturbiere dignare Domine omnibus  
nobis bona facientibus propter no-  
mentuum vitam æternam, Amen.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias. Fidelium animæ per  
misericordiam Dci requiescant in pa-  
ce, Amen.

## PRAXIS

### *Instituendi Preces vespertinas & Examen conscientiae.*

*Stans ante oratorium, in praesentia Dei  
& Sanctorum te constitue. Deinde ge-  
mibus flexis Spiritus S. gratiam implo-  
ra. hoc modo.*

**V**eni S. Spiritus, replete tuorum cor-  
da fidelium, & tui amoris in eis  
ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum & creabun-  
tur.

R. Er renovabis faciem terræ.

Ore-

*Oremus.*

**D**eus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere, Per Christum &c,

*Litania Lauretana B. V.*

**K**yrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Mater Christi,

Mater divinæ gratiæ,

Mater purissima,

Mater castissima,

Mater inviolata,

Ora pro nobis.

Ma-

Mater intemerata,  
 Mater amabilis,  
 Mater admirabilis,  
 Mater Creatoris,  
 Mater Salvatoris,  
 Virgo prudentissima,  
 Virgo veneranda,  
 Virgo prædicanda,  
 Virgo pœnans,  
 Virgo clemens.  
 Virgo fidelis,  
 Speculum justitiae,  
 Sedes sapientiae,  
 Causa nostræ lœtitiae,  
 Vas spirituale,  
 Vas honorabile,  
 Vas insigne devotionis,  
 Rosa mystica,  
 Turris Davidica,  
 Turris ebarnea,  
 Domus aurea,  
 Fœderis arca,  
 Janua cœli,  
 Stella matutina,

Ora pro nobis.

Sa-

Salus infirmorum,  
 Refugium peccatorum,  
 Consolatrix afflictorum,  
 Auxilium Christianorum,  
 Regina Angelorum,  
 Regina Patriarcharum,  
 Regina Prophetarum,  
 Regina Apostolorum,  
 Regina Martyrum,  
 Regina Confessorum,  
 Regina Virginum,  
 Regina Sanctorum omnium, ora pro  
 nobis.

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
 Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
 Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
 Miserere nobis.

**S**ub tuum præsidium confugimūs san-  
 cta Dei Genitrix: Nostras depreca-  
 tiones ne despicias in necessitatibus no-  
 stris; Sed à periculis cunctis libera nos  
 semper, Virgo gloria & benedicta,  
 Do-

Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos re-præsenta.

¶. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

¶. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

**G**ratiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nunciante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per Christum &c.

¶. Ora pro nobis beatissime Joseph.

¶. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oremus.*

**S**anctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine meritis adjuvemur; ut quod possilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione doneatur. Qui vivis & regnas Deus in sacula seculorum, Amen.

EXA-

## EXAMEN CONSCIENTIÆ.

*Punctum I. ad SS. Trinitatem.*

*Solve Deo grates.*

**O** Sacroſancta Trinitas, quanta eſt tua erga me hucusque bonitas & liberalitas. O Pater æterne, gratias tibi immensas ago, quia me ad imaginem tuam, & ad ſalutem æternam creāſti, & in hanc uſque horam tam paternè conſervasti,

**G**ratias tibi ſummas habeo Fili Dei, quia preſioso Sanguine tuo me redemisti, & toties abluisti. Gratias tibi, S. Spiritus, maximas refero, quia me in baptismo ſanctificasti & ad ſanctam Eccleſiam Catholicam perduxiſti.

**I**nfinite laus & gratiarum actio ſit tibi, Sanctissima Trinitas; quia hodie, omnibusque momentis vitæ meæ ab innumeris malis me protexisti, & tot beneficiis cumulasti. Quid habeo mi Deus, quod

quod rependam tibi? Suscipe, obsecro  
omnia Iesu & Mariæ merita, & cum his  
me ipsum, & omnia mea, in perpet-  
uum laudis & gratitudinis holocau-  
stum.

*Punctum II. ad Deum Patrem.*

*Pete lumen.*

**O**pater luminum, per charitatem  
tuam æternam erga me, obtestor te.  
Memoriam mihi renova, intellectum il-  
lumina, voluntatem accende, gratiam-  
que largire, agnoscendi, detestandi, e-  
mendandi & compensandi omnia pecca-  
ta, negligentias, & ingratitudines meas,  
quibus hodie oculos divinæ Majestatis  
tuae offendı, ut deinceps tibi tanquam  
obedientissimus filius per omnia pla-  
ceam.

*Punctum III. Discute Mentem.*

*Percurre omnes diei horas: quando & qua-  
modo surrexeris; an & quâratione pre-  
ces matutinas persolveris: Quite gesse-  
ris*

ris in sacro, in officio, in studiis, con-  
versatione, prandio, &c. An cogitatione,  
verbo, opere & omissione deliqueris, erga  
Deum, Parentes, Superiores, proximos,  
te ipsum.

### Punctum IV. Ad Filium Dei

*Delicti veniam posce.*

### C O N T R I T I O .

O Jesu, O Salvator mi ! quam ingra-  
tum me tot ac tantis tuis beneficiis  
exhibui ! quot nobilissimas horas male  
impendi ! quot meriti æterni occasiones  
neglexi ! quot peccata denuò admisi,  
quorum ne vel unicum pro totius mun-  
di lucro admittendum foret. Damno ac  
detestor negligentiam, malitiāmque me-  
ām, & doleo, quòd animam meam tor-  
nævis maculārim, oculisque tuis divinis,  
ingratam, fœdāmque reddiderim. Doleo  
deinde, mi Jesu, quòd iisdem graves  
pœnas incurrerim, & promeruerim sup-  
plicia justitiae tuæ & iræ tuæ, + Maxi-  
me

me verò doleo, de his, & omnibus peccatis meis, quia hæc displicant infinitæ Sanctitati tuæ, quia offendunt summam bonitatem tuam, cui millies teneor & volo perfectè servire, placere, & omnia displicantia pro viribus evitare.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere mei, quia iniquitatem meam ego cognosco, & ex intimo corde doleo, quod te Deum summum & unicum bonum unquam offenderim.

### CONTRITIO ALIA.

**E**cce, mi Jesu, ego ego sum ingratissima illa creatura quæ tanto à te sanguinis profluvio redempta, & tamen tot & tanta peccata rependi, Te Deum ac Dominum & Patrem in honoravi, mandata tua sprevi, bonitatem infinitam offendi. O quam doleo sic te læsare, ô infinita Majestas & bonitas.

**E**go sum filius ille prodigus, qui cœlum, & dona divinæ gratiæ turpiter pro-

prodegi. Quàm confundor, ô immensa charitas!

**E**go sum ovis illa perdita, quæ Pastorem suum deseruit, quàm detestor malitiam & insaniam meam, ô incomprehensa bonitas!

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: hinc doleo, & gemo, non tam quòd peccatis meis pœnas à justo Deo meruerim [ quod terribilium omnium terribilissimum est ] nec quòd regnum cœlestè pro re nihili perdiderim ( quod damnum super omne omne damnum est ) sed ideo magis ex toto corde doleo, quia cor Dei mei contristavi, quia te offendì, qui es Creator Redemptor meus, & summus meus benefactor. Maxime; quia peccavī tibi, qui es tibi ipsi, & in te summum Bonum, Deus meus & omnia, quem in maiestate tua super omnia veneror; in amabili bonitate tua super omnia diligo.

O Jesu ! esto mihi Jesus, id est Salvator, & salva me ! id peto per lachrymas tuas, per sudorem & sanguinem tuum,

D

&

& per cor dulcissimum Matris tuæ ;  
Amen.

*Punctum V. ad Spiritum S.*

*Recide malum.*

**I**Terúmne peccabo ? corpus & animam  
meam, vulnera & sanguinem Christi,  
cœlum, & omnia peccando prodigam ?  
non faciam, ô sancte Spiritus, non fac-  
am. Abrenuncio & detestor coram te om-  
nia peccata mea, & si, quæ feci, adhuc  
facienda forent, non facerem ea in æter-  
num. Hoc præsertim peccatum N. quod  
gravius te offendit, ô Deus ! omni pos-  
tibili modo cavebo. Sed unde mihi vi-  
res proposita hæc exequendi ? Novi fra-  
gilitatem meam, & naturæ corruptæ in-  
stabilitatem ; Velle quidem adjacet mihi,  
sed perficere non invenio.

**A**d te igitur configio, ô Spiritus Di-  
vine ! unica spes, & robur animæ  
meæ. Omnia possum in te, si tu me con-  
fortes. Statuo omnia peccata mea cum  
gratiâ tuâ corriger, peccandi occasio-  
nes velut pestes fugere, iniamicis offen-  
sam

sam remittere. Legem tuam implere,  
corroborare me, ô spiritus fortitudinis, &  
qui dedisti velle, da perficere, per  
Christum &c.

*Finito examine, commendabis te  
Deo & Sanctis.*

*Commendatio ad Deum.*

**S**alva nos Domine vigilantes, custodi  
nos dormientes, ut vigilemus cum  
Christo, & requiescamus in pace,  
¶. Custodi nos Domine, ut pupillam  
oculi.  
¶. Sub umbra aliarum, tuarum protege  
nos.

*Oremus.*

**V**isita quæsumus, Domine, habitatio-  
nem istam, & omnes insidias ini-  
mici ab ea repelle: Angeli tui sancti ha-  
bitent in ea, qui nos in pace custodiant,  
& benedictio tua sit super nos semper.  
Per Christum dominum nostrum. Amen.

*Ad B. Virginem.*

**O** Domina mea sancta Maria. &c.

*vide pag. 8.*

D 2

*Ad*

*Ad S. Angelum C.*

Angele Dei, qui &c. v. pag. 9.

*Intentio ante somnum.*

**Q**uietem captabo mi Jesu, quia sic placitum est ante te, ut vires corporis restaurem, & divino tuo obsequio tanto aptior fiam. Mi Jesu, quoties respiro per noctem, toties tu à me sis benedictus, uti in cælis te Seraphim benedicunt & Cherubim, Mi Jesu in te credo, mi Jesu in te spero, mi Jesu te amo super omnia. Tibi vigilo, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior, amantissime Jesu.

*Benedictio,*

Nos cum Prole pia benedicat Virgo Maria. †

*Ad lectum perveniens, aspergete, & illum aquâ benedictâ.*

*Dum uestes exuis.*

*Ora psalmum Miserere, vel de profundis, pro defunctis.*

*Dum lectum subis.*

**I**n nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi vado cubitum; ille me benedicit, custodiat, & ad vitâ perducat æternâ.

*In lecto.*

**I**N manus tuas Domine commendō sp̄itum meū. In pāce cūn Deo & hominib⁹ dormiam, & requiescam.

*N.B. Assueſſe, ut honestē compoſitus, lateri dextero incumbens, brachiis ante pectus decuſatis indormiſcas: Et cogita, quaſi in vulnere lateris Christi, vel Angeli Custodis complexu, vel in tumba ſepulchrali jaceres, atque in ejusmodi piis cogitationibus ſomnum preſtolare.*

### PIA SUSPIRIA.

Dum noctu evigilas.

Evigilans mox mentem ad Deum eleva,  
ut cum Davide possis dicere: memor fui  
nocte nominis tui, Domine; Et hujusmo-  
di affectus elice.

1. Laudate Deum ſol, & luna: Lauda-  
te eum omnes ſtellæ, & lumen. *vel.*

2. Benedicite noctes, & dies Domi-  
no. Benedicite Iux & tenebræ Domino.

3. O quot Religiosorum millia, mediā  
nocte ſurgunt ad conſitendum Domino!

&

& ego in plumis jaceo. Gaudeo ex animo mi Deus, te laudari, particeps ego sim omnium timentium te!

4. O quot homines hāc nocte mortem oppetunt! utinam felicem! omnipotens faustam donet morientibus horam!

¶ Si tam molestum est, modicum sine somno jacere in plumis, quam grave erit æternum jacere in prunis!

*Incipe denique recitare litanias, vel alias preces familiares, ita facile tibi somnum conciliabis.*

### P R A X I S.

#### *Præparandi se ad Confessionem.*

I. Pete gratiam peccata cognoscendi, detestandi, & rite confitendi, per sequentem orationem.

#### *Oratio præparatoria.*

**P**Er Filii tui, omniūque Sanctorum & Angelorum merita, quæso, clementissime Deus, infunde cordi meo per gratiam Spiritus sancti lumen, compunctionem, & fontem lacrymarum: ut possim reatum meæ conscientiæ perfectè cog-

cognoscere, delicta facinorum meorum  
plenariè confiteri, & devotè commissa  
accusare, ac de commissis omnibus dig-  
nām pœnitentiam facere, & de his, tua  
præstante misericordiâ, perfectam habe-  
re veniam. Amen.

**II.** Percurre dies ab ultima confessione e-  
lapsos, & horas à matutinis horis in-  
choando, & observa in quibus delique-  
ris: Licebit quoque percurrere Praecepta  
Dei & Ecclesie, quinque sensus, cogita-  
tiones, verba & opera, septem peccata  
capitalia. Et quem subjungo catalogum  
peccatorum.

**I. Erga Deum.**

An mane & vesperi, ante & post sump-  
tum prandium orationem intermiseras.

An preces consuetas cum attentione,  
reverentia & devotione recitaveris.

An sacro Missæ officio reverenter inter-  
fueris; an verò in eo, fabulator, vagatus  
oculis & animo fueris.

An Festis & Dominicis sacrum inte-  
grum audiveris.

An juraveris sine necessitate, reverentia & veritate.

An votum, si quod emisisti, servaveris.

An in rebus adversis murmuraveris, vel impatientiam prodideris.

An abusus fueris verbis sacra scripturae, aut Ecclesiæ ceremoniis, in jocis scurrilibus, aut turpibus.

An in Confessione & communione defectum aliquem admiseris: Maximè an negligens fueris in examinanda conscientia, elicienda contritione, renovando proposito emendationis, & penitentia, aliisque à Confessario injunctis implendis.

An in concione, cathechismo, sodalitate, precibus vespertinis attentus, an vero somnolentus extiteris.

An peccatum aliquod gravius sciens volens in confessione reticueris.

## II. Erga proximum.

An proximum odio prosecutus sis, praesertim gravi & diuturno.

An murmuraveris contra superiores, parentes.

An

*An eosdem contempseris, riseris, in odium & invidiam apud alios vocaveris, eorum famæ detraxeris.*

*An animi aversionem & rancorem ad versus eos retinueris, & quamdiu.*

*An celaveris ea, quæ non oportuit maximè interrogatus.*

*An iis, aliisve surripueris aliquid & quantum.*

*An pecunias ad necessaria comparanda concessas inutiliter in ludos &c. impenderis.*

*An de aliis temerè suspicatus fueris, vel judicaveris.*

*An ab aliquo alienus animo fueris, an ei mortem optaveris, aut grave aliquod damnum, & quoniam illud.*

*An illatas injurias non tuleris, non condonaris, ultus fueris, sive verbo, sive facto.*

*An alios præte contempseris, riseris, ad iracundiam provocaris.*

*An aliquem verberaveris, vulneraveris, vel id tu nomine fieri jussieris, suaseris. induxeris, factum laudaveris.*

D 5

An

*An litigans cognomina dederis, an  
convitiis aliquem appetiveris.*

*An inimicitias seminaveris, ad pug-  
nam incitaveris & convitia.*

*An alicui scandalum dederis, eum ad  
peccatum verbo vel opere provocando, vel  
occasione peccandi ei præbendo, v. g. lau-  
dando, irridendo, palpando, suadendo, ap-  
probando, &c. quæ peccata dicuntur aliena.*

*An rem aliquam surripueris, abscon-  
deris, retinueris, quantum, quamdiu &  
quod damnum inde secutum, & an resti-  
tueris.*

*An aliorum hortis, agris &c. damnum  
intuleris.*

*An furti particeps fueris.*

*An luseris ludis vetitis, & an luden-  
do fraudem adhibueris notabilem contra  
leges ludi, & in re gravi.*

*An inter ludendum altercatus, indig-  
natus, imprecatus, vel horum causam aliis  
dederis.*

*An injustè aliquem accusaris vel detu-  
tuleris, & quod damnum inde secutum.*

*An*

An mentitus fueris, præsertim cum  
damno & prejudicio alterius.

An alicujus fame detraxeris, 1. Fal-  
sum crimen imponendo. 2. Verum quidem,  
sed occultum referendo.

An detractionibus faciles aures præ-  
bueris.

An alios graviter diffamaveris apud pa-  
rentes, vel alios, vel scribendo vel narrando.

### III. Erga Te ipsum.

An superbus fueris, an vanè te, tuā-  
que jactaveris.

An pertinax & pervicax fueris in  
sententia tua,

An invidus erga alios.

An nimis loquax, ineptè letus, scur-  
rilis, & verba sordida, impura, etiam ex  
joco locutus fueris.

An otiosus fueris, tempus malè impen-  
deris, & vanis, curiosis, recreationibus  
immoderatis, pravis consortiis & pericolo-  
sis addictus fueris.

An comedendo & bibendo excesseris,

an usque ad vomitum, aut privationem  
usūs rationis.

An diebus prohibitis carnes comederis,  
aut, si etatem jam adeptus, jejunii leges  
violaveris.

An turpes cogitationes & motus car-  
nales habueris: an iis delectatus fueris va-  
luntariè, licet opus, quod cogitabas, per-  
petrare nolueris.

An turpia verba, colloquia, cantilenas  
animo lascivo effuderis, aut cecineris de-  
lectando te in illis carnaliter veltaliter au-  
diveris.

An verò hac ipsa solum ex joco, levi-  
tate, sine delectatione, sine scandalo & pe-  
riculo protuleris. Huc spectant tactus, os-  
cula, aspectus libidinosi, &c.

An libros impudicos legeris animo libi-  
dinoso, vel ex curiositate, cum periculo ta-  
men consensūs; & an eos retineas, aut aliis  
legendos dederis vei ostenderis.

An turpes imagines simili modo & a-  
nimō aspiceris.

Pra-

Præterea si officium aliquod, statim habeas, examina, utrum in illo deliqueris.

Circa predicta. Nota 1. Tantum tibi ex his  
seligenda & in confessione dicenda esse,  
qua commisisti, ceteris omissis.

Nota 2. Tunc peccatum dici deliberatum  
& voluntarium, quando satis clare ad-  
vertimus & videmus nos male agere, &  
scientes, volentes, peccatum cogitatione,  
verbo, aut opere patramus: Tunc vero  
non esse deliberatum & voluntarium,  
quando advertentes, voluntatem retine-  
mus, ne consentiat, & ne velit, quod est  
peccatum: dicentes vel cogitantes uero  
non volo hoc aspicere, cogitare, loqui,  
nolo consentire, &c. Si quis statim sic  
cogitationem excutiat, ut carbonem vel  
scintillam in vestem e foco immissam so-  
lemus, magni meriti est, & actus vir-  
tutis. Si quis vero negligens sit tardior  
in resistendo, aut rejiciendo, poterit ve-  
niale esse, si non consentiat.

Nota 3. Peracto examine, & observatis,  
aut annotatis, ne oblivioni dentur, pecca-

D 7 tis,

eis, domi ante Crucifixum, vel potius in templo coram SS. Sacramento tarde, meditatae, & affectuose elice fidem, spem, charitatem timorem odium & detestationem peccati; firmumque fac propositum, de quibus omnibus memorat Concilium Tridentinum. Potissimum autem contritioni & proposito elicendo insiste.

Nota 4. Si recens confessus sis, & nihil gravius occurrat, firmumque in animo propositum fugiendi omnia venialia peccata non sentias, ad minus statue, majora quadam & magis noxia declinare. Sin autem tantæ infirmitatis es, ut illud quò ad peccata ab ultima confessione non posses, quia valde communia sunt, tibique difficile ac molestum foret evitare; Crimen aliquod adducas, de quo antea confessus es, majoremque displicantiam & firmorem emendandi voluntatem habes, ut hac ratione confessio perfecta & sincera sit, gratiamque revera mereatur: Ad hoc enim consequendum,

dum, necesse est hominem ad minimum  
quoddam delictum patefacere, quod &  
displacet, & firmo emendationis propo-  
sito amplius committere non vult.

## ACTUS VIRTUTUM.

**Ante Confessionem potissimum,**  
& alias frequenter eliciendi.

### *Actus Fidei.*

**C**lementissime & benignissime Deus,  
qui pro infinita bonitate tua, non  
vis mortem peccatoris, sed ut per fidem,  
spem, charitatem & pœnitentiam ad te  
Deum summum Dominum convertatur  
& vivat: Ego miser & infelix peccator  
cupiens tibi plenè conciliari ante thronum  
divinæ misericordæ tuæ humillimè  
prostratus credo omnia, quæ per Ec-  
clesiam unam, Sanctam, Catholicam &  
Apostolicam credenda proponis, credo  
tibi veritas & sapientia infinita. Credo  
te esse, qui creasti & gubernas omnia,  
&

& me ad servitium & gloriam tuam ; te  
 esse Supernaturalem remuneratorem om-  
 nis boni, & punitorem omnis mali : ani-  
 mam æternam esse & immortalem, gratiam  
 tuam & auxilium esse necessarium ad sa-  
 lutem: Te esse Unum in Essentia & Trinum  
 in Personis , Patrem , Filium & Spiritum  
 sanctum; filium esse pro nobis incarnatum  
 & passum , Christi gratiam nobis confer-  
 ri per Sacra menta , & propter ejus me-  
 rita nobis promissam esse gratiam & æ-  
 ternam beatitudinem à te Deo fidelissi-  
 mo , potentissimo , & misericordissimo  
 dandam. Credo mortem ac damnatio-  
 nem æternam & timeo ; Credo vitam ac  
 beatitudinem æternam & spero ; Credo  
 quovis peccato mortali gratiam tuam &  
 cœlum perdit atque infernum acquiri &  
 horreo Credo Pœnitentiæ Sacramen-  
 tum ac remissionem peccatorum , & u-  
 nicè desidero. Credo te, in te ipso pro-  
 pter infinitas tuas perfectiones esse Deum  
 amabilissimum, finem ultimum rerum  
 omnium, dignissimum non offendи, sed  
 sem-

semper amari & honorari: Hæc cætera-  
que omnia, quæ per Ecclesiam Catho-  
licam credenda proponis, credo, mi  
Deus, quia tu dixisti & revelasti, qui  
es infinita Veritas, non potens falli nec  
fallere, nec potens errare aut mentiri.  
Credo Domine, adjuva incredulitatem  
meam.

*Aetus Timoris.*

**O** Quàm horrendum est incidere in  
manus Dei viventis! quis non tre-  
mat? quis non expallescatur? ô angustia!  
exclamat S. Anselmus: Hinc erunt ac-  
cusantia peccata, inde terrens justitia,  
subtus patens horridum chaos ignis, de-  
super iratus Judex, intus urens conscienc-  
tia? Ubi latebo? ubi apparebo? latere  
erit impossibile, apparere intollerabile.  
O anima mea? quanta igitur stultitia est,  
Diabolo & carni tam leviter cedere? in  
omni tentatione, cum S. Hieronymo,  
cogita terribilem illum ultimæ tubæ so-  
num: Surgite mortui, venite ad judi-  
cium:

ciūm: Propone tibi severissimum illum  
Judicem, qui non parcet delinquenti.

*Actus Spei.*

**S**pero in infinita Bonitate & Misericordia sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Dei Patris, & Filii & Spiritus sancti, in sanctissimis meritis, sacratissimis vulneribus, dolorosissimâ passione & morte Christi, in meritis & intercessione B. V. Mariæ & omnium Sanctorum. Per hæc & propter infallibilem promissionem tuam, propter fidelissimam ac potentissimam misericordiam & bonitatem tuam DEUS, spero omnia & desidero media ad salutem, gratiam in vita, gratiam in fine vitæ & vitam æternam; Spero & gratiæ tuæ, te ipso dante cooperabor; Spero etiam remissionem peccatorum; quia tu, mi Deus, qui omnipotentes, & summè fidelis in promissis, & infinite propensus ad præstandum, quidquid promisisti, disertè pollicitus es per Ezechiem Prophetam c. 18. Si im-

pius

impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, vita vivet & non morietur: omnium iniqitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.

### *Actus Charitatis.*

**A** Mote, mi Deus. quia creâsti me, redemisti, sanctificâsti, conservas, & innumeris quotidie beneficiis cumulas; amo te quia insuper dare vis mihi æternam in cœlo beatitudinem. Sed ideo amo te maximè, & super omnia te amo, quia tu Deus es ob infinitas perfectiones tuas omni amore dignissimus: Tu es Deus sapientissimus, potentissimus, sanctissimus, pulcherrimus, indefectibilis, æternus, immensus, incomprehensibilis; Tu es omne bonum in te ipso, propter te æstimari, coli, honorari dignissimus, licet nec præmium à te sperandum, nec pœna timenda esset; Illas tuas perfectiones tibi ex animo faveo & gra-

tu-

tulor. Gaudeo te ab hominibus agnosci ,  
 te ab Angelis tuis incessanter laudari , te  
 tibi complacere in te ipso. Utinam ces-  
 sent omnia peccata hominum, quia con-  
 tra te & tibi infinitè bono mala sunt & o-  
 dibia: Utinam te creaturæ omnes a-  
 ment, revereantur, adorent quantum  
 possunt, & sicuti propter infinitam tuam  
 excellentiam mereris : Utinam in omni-  
 bus impleatur tua sanctissima voluntas, &  
 fiat semper, quod tibi maximè est placi-  
 tum. Ex hoc in te amore, mi Deus, amo  
 Angelos & homines ejusdem mecum be-  
 atitudinis capaces ; amo me ipsum, sed  
 semper propter te, quia tu, infinitè bo-  
 nus, hoc vis, & tibi hoc placet, quia  
 tibi bonum & beneplacitum est, quod  
 ita ab omnibus & in omnibus agnosca-  
 ris, ameris, lauderis.

*Actus Contritionis.*

*Dolor & detestatio:*

**E**x hoc eodem tui amore, ô Deus !  
 Edolco ex toto corde de omnibus pec-  
 ca-

caris meistarum occultis, quām mīhi notis  
 quia iis te offendī, qui es summē bonus,  
 infinitē perfectus, maximē amabilis. Do-  
 leo quia peccavi contra te Creatorem,  
 Redemptorem, Deum meum. Pœniter  
 me unquam peccāsse! Displacet, quod  
 ausus sim te Deum meum offendere. Sup-  
 plex peto veniam & misericordiam. De-  
 testor, execror, abominor omnia deli-  
 cta, quæ à pueritiâ in hanc usque horam  
 commisi: Detestor illa super omnia de-  
 testabilia propter fœdam eorum turpi-  
 tudinem. Propter iram & pœnam justi-  
 tiæ tuæ detestor, propter detrimentum  
 animæ meæ, propter ingratitudinem  
 contra bonitatem tuam. Imprimis autem,  
 doleo & detestor ominia ( illud aut illa  
 imprimis ) quia te summum bonum spe-  
 cialiter illo offendī, quia cor tuum con-  
 tristavi, quia dispuicui & malum feci ti-  
 bi, qui licet nec cœlum esset, nec infer-  
 nus, nec prœmium vel pœna, attamen  
 propter infinitam tuam bonitatem &  
 perfectionem eras & es dignissimus non  
 offen-

offendi, sed semper amari, coli, honorati.

*Propositum.* Ignosce mi Deus, qui non vis mortem peccatoris. Ignosce. Proposito firmissime, ex hoc momento nunquam iterum te offendere; Propono vitare constanter, singulari studio deliberata peccata ad unum omnia & occasiones peccandi mortaliter, & magna solitudine illud (illa) declinare [nominetur quod supra] confitebor illud. Agam pœnitentiam. Fugiam occasiones. Adhibebo remedia. Serviam tibi Deo meo fidelius. Ignosco tui amore omnibus, quotquot unquam gravavi, scandalizavi, læsi, contrastavi, contempsi aut judicavi, veniam humiliter peto, iisque pro viribus satisfacere cupio. Et quia hæc forte non sufficiunt delendis, quæ contraxi debitis, etiam in satisfactionem offero merita Jesu Christi, B. Virginis, omniumque Sanctorum, opera mea, vitamque totam. Ignosce Pater clementissime, & Filium prodigum in gratiam recipe,

á qua

à qua nunquam sinas me excidere. O  
Deus optime, potius mihi mortem im-  
mitte, quam in peccatum grave delabi  
permittas. Malo mori quam peccare.  
Adjuva imbecillitatem meam.

*Actus breviores Virtutum  
earundem.*

*Fides.* Credo te Deum trinum & u-  
num esse remuneratorem bonorum, &  
punitorem malorum, & timeo ; Credo  
etiam omnia quæ per Ecclesiam Catho-  
licam credenda proponis, quia tu, mi  
Deus, dixisti, qui es Veritas infinita non  
potens fallere, nec falli, nec errare, nec  
mentiri.

*Spes.* Spero, mi Deus, & desidero per  
merita Christi remissionem peccatorum,  
omnia media ad salutem, gratiam in fi-  
ne vitæ & vitam æternam ; quia tu pro-  
misisti, qui in promissis servandis es De-  
us fidelissimus, potentissimus servare, &  
misericordissimus ut serves.

*Amor.* Amo te Deum meum sum-  
mum

mum Bonum super omnia, quia sum-  
mum Bonum es.

*Contritio.* O summum & omne Bo-  
num, doleo quod unquam offenderim  
te. Detestor omnia peccata. Propono  
firmissimè imposterum nullo peccato te  
offendere, omnésque peccandi occasio-  
nes devitare,

*Ad Santos.*

**O**Mnes Sancti & Sanctæ Dei inrecep-  
tione pro me: Impetrare mihi miser-  
icordiam Dei, contritionem & remis-  
sionem peccatorum, emendationem vi-  
tæ, bonum usum Sacramenti Pœnitentiæ  
& Eucharistie, judicium Dei mite &  
clemens, ac beatam æternitatem. Ade-  
ste & auxiliamini mihi semper & ubique,  
Amen.

*Octo Motiva Contritionis & propo-  
siti emendationis, è quibus nunc hoc, nunc  
illud ante Confessionem aliquamdiu con-  
sidera & expende.*

**D**Oleo ex toto corde meo, & ex tota  
ani-

anima mea, ô Deus ! de omnibus peccatis meis notis & occultis, cadémque supra omnia summè execror & detestor.

I. Quia iisdem Te offendī, qui es Majestas infinita, & ne minimo quidem peccato lādenda ob mille mundorum salutem. Quia offendī Te Deum patrem meum, qui es infinita Potentia, quā me ex abysso nihili eduxisti, corpore, animā membris, sensibus & potentiis donāsti. Et ego iisdem abutens contra te rebellavi O quanta impietas !

II. Doleo de peccatis meis, quia offendī te, Fili Dei, qui es sapientia infinita, omnia sciens, omnia penetrans, omnibus semper præsens : Et ego Te præsente & spectante, tam fædè deliqui, O quanta audacia & insipientia !

III. Doleo de peccatis meis, quia offendī te, Spiritus sancte, qui es Amor & Bonitas infinita, cuius gratiam sprevi : O quanta perversitas !

IV. Doleo de peccatis meis, ô Deus ! quia offendī Te, qui es infinita Justitia,

E

qui

qui Luciferum æterno incendio, totum mundum diluvio, pentapolim igne sulphureo plexisti: Et ego vermiculus te contempsi, atque ad iram & vindictam provocavi. O quanta temeritas.

V. Doleo de peccatis meis, quia offendি Te, Jesu Christe, qui es infinita Benignitas & Clementia, qui pro me tam mira fecisti, tam dira fustinuisti, tantum sanguinis profudisti; & ego toutes sanguinem testamenti pollutum duxi, scelera & malefacta rependi. O quanta ingratitudo.

VI. Doleo de peccatis meis, ô Deus, quia offendি Te, qui es infinita Misericordia, qui me, patrato primo lethali scelere, mox cum Diabolis ad infernum deturbare poteras, sed clementer pepercisti: Et ego iterum iterumque peccavi. O quanta mea præsumptio!

VII. Doleo de peccatis meis, o Deus, quia offendি Te, qui es infinita majestas, omni meo creaturæ & servi tui veneratione & obsequio dignissima. O quanta injuria.

VIII.

VIII. Doleo de peccatis meis, ô Deus,  
quia Te offendit, qui es infinita Amabi-  
litas, infinita Suavitas, Sanctitas, Pul-  
chritudo, Dulcedo, Perfectio, cui ego  
voluptatem momentaneam, lucrum exi-  
guum, honorem evaniduum perfidè præ-  
posui. O quanta cœcitas, & malitia.

*Alium actum contritionis & propositi habes  
pag. 71. & seq.*

## P R A X I S

### Confessionis.

*Ante confessionem, ingressus sacrum tri-  
bunal benedictionem pete his verbis: Be-  
nedic Pater: Et formato signo crucis,  
subjunge.*

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ  
semper Virgini, omnibus Sanctis, & ti-  
bi, Pater, quia peccavi nimis cogitatio-  
ne, verbo & opere.

*Deinde, indicato tempore ultimæ confessio-  
nis, peccata tua recense. 1. Humili-  
ter, ea non excusando. 2. Breviter,*

E 2 super-

superflua non narrando. 3. Sincerè, peccata non palliando. 4. Honestè & clare, ut satis intelligantur. 5, Integrè addendo speciem & numerum certum, vel si eum nescias, verisimilem, ita ut nullum peccatum mortale, voluntariè omittas, quia hoc grande sacrilegium est: Et sic denique conclude.

De his & omnibus aliis peccatis meis doleo ex intimo corde, quòd Dominum Deum summum Bonum offenderim, detestor illa, & firmissimè propono me emendare, petoque salutarem pœnitentiam & absolutionem.

*Sub absolutione cogita animam tuam mundari pretioso sanguine Iesu Christi: cuius merita per Sacramentum tibi applicantur, & breviter renova actum contritionis.*

O Deus propitius esto mihi peccatori, ô quam doleo, quòd te summum Bonum unquam offenderim, propono emendationem.

*Post*

*Post Confessionem.*

Pœnitentiam, tanquam à Christo injunctam, libenti animo accipe, & quam primum potes, exequere. eaque per etatâ sic precare.

## ORATIO.

*Post Confessionem.*

**S**it tibi, obsecro, meritis Beatae semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ & omnium Sanctorum grata & accepta ista, confessio mea, & quidquid mihi defuit, nunc & alias de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis, suppleat pietas & misericordia tua; & secundum illam digneris me habere plenius & perfectius absolutum in cœlo; qui vivis & regnas Deus in sœcula sœculorum, Amen.

*Alia,*

**L**argire mihi Domine gratiam copiosam, vitam seriò emendandi, & in gratia tua usque ad mortem perseverantem.

randi. Per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

*Denique à Christo tibi dici cogita:  
Vade, & jam amplius noli, pec-  
care.*

### METHODUS.

Exstirpandi vitia, & inserendi vir-  
tutes, per examen parti-  
culare.

*Examen particulare à S. Ignatio exactè  
traditum, est illud, quod non, ut ge-  
nerale, omnia virtus simul persequitur,  
sed unum particulare virtutem extirpan-  
dum, vel unam virtutem inserendam  
suscepit. Facilius enim hostes vincit,  
qui successivè, quam qui omnes simul  
agreditur. Pro hujus praxi sequen-  
tia puncta sunt.*

### PRÆNOTANDA

Pro clariori notitia hujus  
Examinis.

I. *Scias velim summo studio tibi ad-  
laabo-*

laborandum esse, uti & conscientia tua  
Arbitris, Parentibus & Magistris, ut  
vitia & pravas inclinationes à teneris  
exstirpes, ne per actus frequentatos ita ra-  
dientur, ut in adultiore etate difficilli-  
mum sit ea evellere.

*II. Vitia, quæ per hoc examen emen-  
daripossunt, sunt mendacia, juramenta,  
verba scurrilia, opera impudica, rixæ,  
fabulae in templo, lusus vetiti, oblocutio,  
inobedientia, iracundia, impatientia.*

*III. Virtutes verò, quæ per hoc examen  
acquirendæ, sunt observatio ordinis diei,  
intentio pura, memoria præsentia Dei &  
Angeli Custodis, custodia oculorum, lin-  
guæ, aurium, manuum, temperantia,  
patientia, humilitas, castitas, charitas.*

*IV. Attam vitia, quam virtutes, non  
tota simul sumenda, sed per partes. Æque  
facilior examinis praxis evadat, nonnulla-  
rum virtutum actus adscribo, plures ex  
aliis libris, aut à Confessario petes.*

## ACTUS TEMPERANTIAE, Contra Gulam.

1. Nunquam excedere in cibo & potu, multò minus ita corpus opplere, ut graveatur, & studiis &c. ineptum reddatur.
2. Non desiderare cibos lautiores.
3. Tempus edendi observare.
4. Nimium edendi aestum frœnare.

## ACTUS MANSUETUDINIS, Contra Iram.

1. Iram externis signis non prodere.
2. Eandem in corde non fovere.
3. Non imprecari, minari, ulcisci vel nocere.
4. Inimicis velle & facere bene, proque iis orare.

## ACTUS HUMILITATIS, Contra Superbiam.

1. Se vilem, miserum & peccatorem agnoscere.
2. Se aliis non præferre.
3. Se & suan non jactare.
4. Alios & aliena non contemnere.

5. Con-

¶. Contemptum, Christi exemplo, patienter & libenter ferre.

ACTUS CASTITATIS,  
Contra Luxuriam.

1. Impuras cogitationes mox repellere.
2. Nullum verbum indecens proferre, legere, vel libenter audire.
3. Oculos, domi, in plateis, ac templis diligentissimè custodire, ita ut nullam imaginem turpem &c. fixis oculis aut morosè intuearis.
4. Manus cantè custodire, nec cum nulla vel minima delectatione carnali partem corporis proprii aut alieni attingere.
5. Omnem societatem pravam, præsternit alterius sexus, quæte ad illicita seducere posset, velut pestem fugere.
6. Consule Confessarium, vel ipse dispice, quod vitium maximè te infestet, aliosque offendat, ac foras erumpat, atque illud in dies tam diu oppugnes, donec expugnes. Aut è virtutibus prædictis felige tibi magis necessariam & exerce eam juxta sequentem methodum.

E s

PRAXIS

## P R A X I S.

## Examinis Particularis.

1. Mane post preces matutinas firmiter statue hoc vitium, quod oppugnandum elegisti, omni diligentia evitare, & auxilium divinum efflagita.

2. Per diem aliquoties propositum hoc renova, & quoties impingis, mox dolorem excita, percuso (claim aliis) pectore.

3. Sub vesperum, defectuum aut virtuosorum actuum numerum, in libello aliquo vel charta annota: Et cura, ut numerus defectuum indies decrescat; virtutum vero crescat, juxta adjectas tabellas.

*Tabula Vitiorum  
extirpandorum.*

Domin	.....
Lunæ	.....
Martis	....
Mercurii	...
Jovis	...
Veneris	.
Sabbathi	.

*Tabula Virtutum  
inserendarum.*

Dominica	.
Lunæ	..
Martis	..
Mercurii	....
Jovis	....
Veneris	.....
Sabbathi	.....

4. Ex-

4. Expedit, ut ob commissos defectus aliquam tibi pœnam imponas, téque quodammodo ad servandum bonum propositum adigas.

5. Quia verò sine gratia Dei neminem quidem vitium emendari potest, hinc sc̄epius per diem suspirio aliquo gratiam pete. Et emendato uno, ad aliud progredere.

## SEPTEM MEDIA

### Vincendi temptationes carnales.

1. Fuga. Fugite, ait Apostolus de hoc vitio. Vitanda igitur sunt, prava societas, aspectus liberior, colloquia, & letio turpis, otium, ludi vetiti, intemperantia, & alia quævis occasio.

2. Præsentia Dei. In omni tentatione mox cogita, vivaque fide dic: Deus omnia videt, etiam cogitationes. Jūdex meus mihi adest, qui potest me eodem memento, quo pecco, occidere, & damnare.

3. Fre-

3. Frequens communio, in qua Christum accipis fontem omnis sanctitatis & puritatis.

4. Confessio eidem Sacerdoti facta singulis 8. vel 14. diebus; in qua distinctè explicandum, num primo momento restiteris; An verò hæseris, nec admittendo, nec seriò repellendo; an denique voluntariè admiseris seu consenseris, & hoc quoties?

5. Oratio fervens, & protestatio quotidiana coram Deo, quod mori malis quam peccare, Quotidiana B. Virginis, Angeli custodis, S. Josephi, S. F. Xaverii, & B. Aloysii invocatio.

6. Opera pœnitentiæ, ut jejunii, orationis cum expensis brachiis, cilicii &c. Sed hæc cum consilio Confessorii. Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio. Quare cum S. Paulo castiga corpus tuum & in servitutē redige, ne recalcitret ac rebellet: Et post lapsum mox dole, & de te pœnam sume.

7. Dum jam pulsari te sentis tentatione

tione, vel phantasiā impurā; statim pollice crucis signum cordi imprime, dicens: O Jesu! sis in corde meo, ne tentationi succumbam; malo mori quām fœdari. Per sanctam Virginitatem tuam &c.

Addi etiam possunt actus fidei spei & charitatis. v. g. Sic Te mi Deus in fide aestimo; in spe desidero, in charitate diligo; ut Te deferere & offendere nolim.

### P R A X I S.

#### Piè communicandi.

Quoties adire sacram Communionem  
vis, sex requiruntur: Ante sumptionem de-  
siderium & puritas; In sumptione humi-  
litas & charitas; Post sumptionem gratia-  
rum actio & renovatio mentis.

Accessurus igitur ad sacram synaxin co-  
gita, te à S. Apostolo Paulo monerib[us]  
verbis: Probet se ipsum homo, & sic de  
pane illo edat, &c. Qui enim mandu-  
cat & biberit, indignè, judicium sibi man-  
ducat & biberit non dijudicans Corpus  
Domini, 1. ad Cor. 2. Probatio autem  
hæc consistit in sequentibus.

## Pridie Communionis.

1. Desiderium fervens sacrae communionis aliquoties per diem excita, & sub noctem in his cogitationibus indormisce.

**Q**uis est, qui ad me veniet? quis sum ego, qui ad eum vadam? & quomodo ad me veniet? quomodo ad eum vadam, & quomodo a me sumendus? Quare ad me veniet? veniet, ut omne genus obsequii mihi praestet, amantissimi Patris, boni Pastoris, Consiliarii, Magistri, Medici, Advocati, Consolatoris, Redemptoris, Amici &c. Cur ad eum vadam? ut ab eo recipiar in gratiam filius prodigus, dirigar, instruas, saner, adjuver, conserver & glorificer.

2. Ex libello pio nonnihil de Communione lege v.g. Capitulum ex 4. libro Th. mæ de Kempis.

3. Si tibi suspetat, eleemosynam largire, & aliquid opus misericordiae corporale vel saltē spirituale exerce, v.g. orando pro conversione Infidelium, Hæretico-

ticorum, Peccatorum vel pro defun-  
ctis.

4. Jejuna, aut certè temperantiùs cœ-  
na, bolas aliquos sapidiores tibi sub-  
trahē; Eò magis sapiet manna cœ-  
lestē.
5. Solitò ferventiùs preces vespertinas  
persolve.
6. Aliquod humilitatis vel pœnitentia-  
opus præmitte, & modestius in omni-  
bus te gere.

IPSO DIE  
Communionis,

1. Maturiùs, alacriùsque èlectote prori-  
pe, & primam cogitationem non de alio  
concipe, quām de dī. Etō tuo, quem ho-  
die in pectus suscipes.
2. Preces matutinas ferventiùs recita.
3. Per quadrantem hore, vel semiboru-  
lam meditare de hoc mysterio & expen-  
de: quis ille sit, qui ad te venturus  
est. ad quem, cur? Jam eum confide-  
ra ut Regem, jam ut Patrem, jam

ut

ut Medicum &c. Te verò ut pauperem,  
in firmum, miserum, &c.

4. Si meditari nescias saltem è libello pio  
de hoc beneficio tardè & attentè per qua-  
drantem horæ lege.
5. Desiderium & orexin cœlestis hujus ali-  
monia in te excita sapientia ingeminans;  
Veni Domine & noli tardare. *Vel:*  
Desidero te millies, mi Jesu, quan-  
do venies? me lætum quando fa-  
cies? me de te quando saties.
6. Exactam peccatorum exhomologesin,  
nisi pridie feceris, institue.
7. Sub sacro varios variarum virtutum  
actus elicendo, ad actualem devotio-  
nem animum inflamma, & ex sequen-  
tibus, quos tibi præelicio, modo his  
modo illis pro opportunitate & gustu  
tuo utere.

## ORATIONES

*Et actus virtutum ante Communionem.*

*Fides.*

**O**Jesu, veritas & vita; Fide firmâ  
cre-

credo in hoc admirabili Sacramento,  
 quod modò suscipere intimè desidero,  
 re ipsa esse Divinitatem tuam cum Po-  
 tentia, Sapientia & Bonitate infinita.  
 Credo istic verè præsentem esse sacrati-  
 simam Humanitatem tuam, cum omni  
 sua perfectione & sanctitate, animam  
 cum potentiis, corpus tuum verum &  
 vivum, integrum & gloriosum, totum  
 sub totâ, & totum sub quâlibet parte, se-  
 cundum corpus & animam, carnem &  
 sanguinem: & hoc ipsum credo, quia tu  
 summa Veritas & suprema Veracitas di-  
 xisti: Hoc est corpus meum *Matth. 26.*  
 Et quia tu cum Patre & Spiritu sancto es  
 unus Deus, credo etiam adesse Patrem  
 & Spiritum S,

Credo gratiam conferri iis, qui hoc  
 Sacramentum aliâque ritè suscipiunt.  
 Credo de hoc mysterio, ô Salvator mi,  
 humiliter & simpliciter quidquid tu no-  
 bis revelasti & per Ecclesiam tuam cre-  
 dendum proposuisti. Credo idem, quod  
 creditum & doctum est ultra mille & se-  
 ptin-

ptingentos annos à sanctis Patribus & Ecclesiæ tuæ Doctoribus.

Fallant igitur & fallantur sensus quod frequens est: Obstrepant & blasphemant Hæretici, quod detestandum est: Ego tamen credo infallibilibus verbis tuis, ô Jesu, quia tu dixisti, qui nec falli potes, nec fallere, utpote æterna Patris Sapientia & prima Veritas. Credo, credo, credo, quidquid dixit Dei Filius, nil hoc verbo Veritatis verius.

*Metus Reverentialis.*

**S**ed Majestatem & Omnipotentiam tuam considerans, o Domine, totus paveo & contremisco: Nam si Oz a tangens Arcam, Eucharistia figuram, mox percussus interiit; Quomodo ego carnem tuam, vivam omnis Sanctitatis Arcam, ausim ore meo impuro tangere? Israëlità terrore perculsi non ausi fuere montem Sinai fumantem accedere, ut legem obtinerent: Et quomodo ausim ego peccator ad montem gloriæ tuæ, ad omnipotentiæ tuæ Sacramentum appropinquare,

re, & legislatorem meum, cœli terræ-  
que Monarcham suscipere? Non aude-  
rem certè. ô Domine, nisi tua juberet  
Majestas, & blandâ voce invitaret Boni-  
tas, Quia ergo dicas: Venite ad me o-  
mnes: Ecce venio; ut reficias me; quia  
dicas: Sinite parvulos venire ad me; ec-  
ce adsum, ut me facias verè parvulum  
humilitate & innocentia: tuisque mori-  
bus similem reddas.

### *Humilitas.*

**V**Eruntamen ô Domine, vilitatem  
mem cogitans, totus confundor.  
Non sum ego Angelus aut Archangelus,  
sed homo, de humo & terræ limo forma-  
tus, & illitremunt coram te, & faciem  
velant. Non sum Joannes Baptista in u-  
tero sanctificatus, sed in iniquitate con-  
ceptus & natus: & ille indignum se repu-  
tat, ut vel corrigiam calceamenti tui sol-  
vat. Quid igitur de me sentiam? quid  
agam? Ecce Domine, me penitus abji-  
cio, & ad Majestatis tuæ pedes humili-  
mè

mè prostratus indignitatem meam agnoscō, & profiteor, licet mille annis me præpararem, indignus tamen essēm, qui ad divinum hoc Sacramentum accederem: Tu enim in eo præfens, es Dominus, ego servus; Tu conditor, ego limus; Tu sanctus, ego perversus. Quia tamen me invitās, & mortem minaris, nisi carnem tuam manducavero: hinc festino ad te; & quod miserior ac pauperior sum, eò magis ad fontem omnis boni proprio: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ità desiderat anima mea ad te, Deus. Veni ô Domine, patent penetralia cordis mei: anhelo ad te, quia amore tui langueo. Sed utinam omnium Sanctorum præparationes ac virtutes solus haberem, ut dignior ad tantum Dominum suscipiendum evaderem. Ornent me, ô Jesu! merita tua & virtutum decora, ut dignus sim tantâ gratiâ.

*Spes*

*Spes.*

**O** Salvator mi, & spes omnium finium terræ! Tu es Domine spes mea à juventute mea; quid mihi negabis, qui te ipsum dabis? cum tu promiseris: Qui manducat hunc panem vivet in æternum; ego infallibili hâc promissione fretus, vi meritorum tuorum, ac virtute hujus efficacissimi Sacramenti, spero à te vitam, gratiam ac gloriam sempiternam. Et quid non sperem à Te? Tu solus potes dare omnia, quia super omnia potens es: Tu dare vis omnia, quia infinitè bonus es. Da igitur per Bonitatem tuam, quæ peto, ô Domine! Ego infirmus sum, esto medicus & sana me; ego cæcus sum, tu lumen, illumina me; ego immundus, tu fons puritatis, ablue me; ego ignorans, tu sapiens, doceme; ego tepidus, tu ignis consumens, accende me; & salva me; qui salvos facis sperantes in te: Ego enim in te Domine speravi, non confundar in æternum,

*Chari-*

*Charitas.*

**O** Amabilissime Jesu, quantum teneor  
amare Te! Amo re ex toto corde,  
quia creasti me: amo te ex tota anima,  
quia redemisti me: amo te ex tota men-  
te, quia sanctificasti me: amo te de-  
nique ex omnibus viribus meis, quia  
pretioso corpore & sanguine tuo toties  
cibasti me: O amator hominum! verè  
amor tuus necesse est, ut sit infinitus,  
qui ad tanta amore nostri facienda te ad-  
egit: qui eò te permovit, ut pridie, quām  
patereris, institueris hoc admirabile Sa-  
cramentum amoris; ut nobiscum perpe-  
tuò permaneres & intimè te nobiscum  
conjungeres. O amor infinite! cur ego  
non vicissim torus ardeo amore tui? Do-  
mine tu scis, quia amo te, & omnibus  
rebus antepono te, & millies amplius  
desidero amare te; & in signum amoris,  
Accedo ad te, ut arctius uniar tibi. Offe-  
ro tibi omnia mea, animam & vitam,  
corpus & cor meum, suppliciterque pe-  
to, ut hæc accipias & cœlesti igne a-  
moris tui penitus accendas.

In-

*Intentio.*

Plurimum prodest accedere cum intentione pura & tempori aacomodata, juxta monitum S. Bonavent. opusc. de præparat. ad Missam. Petendo nunc remissionem peccatorum, nunc remedium pro infirmitate sua, nunc liberationem ab aliqua tribulatione, interdum pro obtinendo aliquo beneficio, interdum ad agendas gratias, interdum pro salute proximi, vel pro animabus purgatorii, denique in laudem & honorem SS. Trinitatis, memoriam Passionis Christi, & augmentum charitatis, in quem finem dici potest sequens

*Oratio.*

O Mnipotens Deus ! Ego peccator indignissimus suscipere volo Corporis & Sanguinis Filii tui Sacramentum, ad laudem & gloriam supremæ tuæ Majestatis; in memoriam passionis ac mortis Jesu Christi; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi & toti Ecclesiæ concessis; in propitiationem pro omnibus

or  
le,  
na,  
n-  
le-  
ua  
ies  
rè  
is,  
d-  
m  
a-  
e-  
m  
go  
o-  
us  
ùs  
is,  
e-  
n,  
e-  
a-  
n-

bus peccatis meis: ad obtaindam ardentissimam charitatem Dei & proximi; ad impetrandam gratiam Dei & opem in re ista N. pro salute mea & proximorum N. N. ut charitate perfecta tecum conjuncti vivamus, pro solatio quoque defunctorum N. N. ut cum Beatis in cœlo te citius laudent, & laudando æternum delectent. Omnes denique intentiones, quas vel Christus Sacramentum instituens, vel ullus Sanctorum suscipiens sibi unquam præfixit, easdem & ego habere unicè opto & desidero, ad summam laudem & gloriam tuam. Amen.

*Invocatio SS. Patronorum.*

**U**T autem confidentiùs, digniùsque accedam: Succurrite mihi omnes Sancti Patroni mei, Sancti que omnes: Tu præcipiè sanctissima Virgo Maria; quæ Deum & Hominem purissimis visceribus concipere & portare meruisti, impetra mihi per amorem Filii tui, Spiritus sancti gratiam, ut & ego cum digne recipere & portare merear.

San-

Sancte Archangele Michael, túque mi-  
S. Angele tutelaris omnésque Angeli, as-  
sistite mihi in hac hora : cùmque me vir-  
tutibus & meritis destitutum videatis ;  
vestris, obsecro, me virtutibus & meritis  
cxornate ; ne in hoc divino convivio sínè  
veste nuptiali compaream, & velut in-  
dignus repellar.

*Si festum sit alicujus Sancti, offer in hono-*  
*rem illius S. Communionem & dic :*

**O** Sancte N. impetra mihi hanc ab A-  
gno Dei gratiam, ut omnia pecca-  
ta mea, etiam occulta, tollat ; atque ità  
in Sanguine Agni dealbatus purissimâ e-  
jusdem Carne, cum gustu & fructu refi-  
ciar ; impetra & mihi, ut frigidum pe-  
tus meum amore Jesu ardeat, & totum  
ejus amore colliquescat.

*NB. Non parùm promovet pietatem, si ti-*  
*bi imagineris locum aliquem sanctum,*  
*in quo communices, Unde jam in cœna-*  
*culo sedebis ad mensam cum Apostolis,*  
*jam in monte Calvaria ad pedem crucis,*

modo eris in Antro Bethlemitico, ad  
præsepe Christi nascentis, alias in Na-  
zareth, Emmaus aut Bethania. Ibi-  
dem orationes præparatorias, aliasque  
fundes.

Dum jam ad Sacramentum accedere pa-  
res, in comitatum tuum invita B. Vir-  
ginem, Angelum Tutelarem, Patronos,  
Sanctosque omnes.

Servanda sub ipsa

## COMMUNIONE.

*His, aliisque ferventibus desideriis & affe-  
ctibus inflammatus, quanta potes mo-  
destia, humilitate & reverentia ad men-  
sam Eucharisticam accede, oculis de-  
missis, manibus plicatis & erectis.*

*Sacra mensa assidens, manibus ad pectus  
sub mappa complicatis, capite erecto &  
immoto, ore quieto, lingua ad extremum  
labium honeste exserta, Dominicum  
Corpus reverenter suscipe, salivaque  
delibutum in pectus tuum, quampri-  
mum*

ad  
a-  
bi-  
ue  
a-  
ir-  
os,  
fe-  
20-  
en-  
de-  
tus  
E  
um  
que  
ri-  
um

num potes demitte, & os sumptâ ablutione, ne qua particula Hostiæ palato adhæreat, diligenter ablue, factâque profundâ reverentiâ ad locum redi. Varios interim fidei, spei, charitatis & humilitatis actus exercens, & jam cum S. Apostolo Thoma dicens : Dominus meus & Deus meus ! jam ad imitationem S. Elisabethæ ; Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me ? jam cum Sponsa : Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

### Agenda post COMMUNIONEM.

*Ubi ad locum te receperis, totus cum uno  
Salvatore tuo tibi intime præsente occu-  
patus, oculis clausis vel demissis, corde  
& vehementi affectu potius, quam lin-  
guâ in ardentia erumpere suspiria.*

**O** Jesu sis devotissimè salutatus, altissimè laudatus ? nunc & semper ab omni creatura benedictus ? Credo in te hic verè præsentem ; spero in Te potentem, amo te super omnia amabilem

& amabo in æternum, gaudeo de tua  
summa gloria, amplector tuum SS. be-  
neplacitum.

Ecce Domine iam habeo te, qui ha-  
bes omnia ; possideo te, qui potes &  
possides omnia : Abstrahe cor meum à  
cæteris omnibus extra me, in quibus nil  
nisi vanitas & afflictio spiritus. In te u-  
no fixum sit cor meum, in te sit requies  
mea, ubi est Thesaurus meus, summa  
veritas, & vera felicitas, & felix æter-  
nitas.

Sentiat ô Domine mens mea dulce-  
dine in præsentia tua. Gustet quam suau-  
vis sis Domine, ut inescata amore tui,  
nihil querat extra te, unde gaudeat, quia  
tu es gaudium cordis mei, & pars mea,  
Deus in æternum.

Ecce quod concupivi, jam video, quod  
speravi, jam teneo, quod desideravi,  
jam habeo. Mihi adhærere tibi bonum  
est, & ponere in te Domine spem me-  
am. Quid enim mihi est in cœlo, & à  
te quid volui super terram ?

¶ De-

O Deus meus & omnia! absorbeat  
quæso mentem meam visignita & melli-  
flua amoris tui, ut amore tui mundo  
moriar, qui amore mei dignatus es  
in cruce mori: O Deus meus & omnia!

*Suspiria pia ad Christum Eucharisti-  
cum vel Crucifixum.*

**A**nima Christi sanctificet me:  
Voluntas Christi inflammet me:  
Intellectus Christi illuminet me;  
Memoria Christi occupet me:  
Appetitus Christi pascat me:  
Oculi Christi respiciant me:  
Lacrymæ Christi compungant me:  
Aures Christi exaudiant me:  
Odor Christi reficiat me:  
Lingua Christi benedicat me:  
Labia Christi osculentur me:  
Dextera Christi protegat me:  
Sinistra Christi amplexetur me:  
Pedes Christi dirigant me:  
Vulnera Christi sanent me:  
Cor Christi abscondat me;

Humilitas Christi confundat me :  
 Obedientia Christi exaltet me :  
 Mansuetudo Christi componat me :  
 Paupertas Christi ditet me :  
 Castitas Christi munder me :  
 Vigiliæ Christi excitent me :  
 Amor Christi uniat me :  
 Virtus Christi exornet me :  
 Oratio Christi defendat me :  
 Tristitia Christi exhilarat me :  
 Pavor Christi animet me :  
 Sudor Christi purifiet me :  
 Sanguis Christi inebriet me :  
 Agonia Christi confortet me :  
 Flagella Christi exstimpulent me :  
 Spinæ Christi configant me :  
 Fatigatio Christi consoletur me :  
 Passio Christi satisfaciat pro me :  
 Crux Christi sustentet me :  
 Aqua lateris Christi laveret me :  
 Mors Christi vivificet me :  
 Resurrectio Christi resuscitet me :  
 Ascensio Christi attrahat me :  
 Gratia Christi deificet me :  
 Gloria Christi transformet me :

Ju-

Judicium Christi absolvat me:  
 Visio Christi beatificet me:  
 O bone Iesu exaudi me:  
 Ab hoste maligno eripe me:  
 Et fac me nunquam separari à te:  
 In hora mortis meæ voca me:  
 Et jube me venire ad te;  
 Ut cum Sanctis jugiter laudem te. Amen, Amen, Amen.

*Si varietas delectet, & tempus ferat, in alios affectus præeo.*

*Adoratio.*

**O**Iesu adorande, agnoscō & profiteor libens, me opus esse manuum tuarum; te verò supremum animæ meæ Principem; videoque humiliè te velatum adoro in terris, non secūs ac Cherubim & Seraphim te revelatum adorant in cœlis.

*Admiratio.*

**O**Iesu admirabilis! licet summè admirer incomprehensibilem potentiam, sapientiam & bonitatem tuam;

præ omnibus tamen te nimis quam admirabilem reddit oculis meis tanta humilitas, & teneritudo cordis tui erga nos miseros mortales ; ut Majestatem tuam infinitam in Sacramento abscondas, immensitatem quodammodo coarctes, & sublimitatem humillies, quo nobiscum amore uniaris. O verè stupenda charitas ! ô humilitas profunda nimis !

*Aëstimatio.*

**O** Salvator inæstimabilis ! quòd Tu Divinitatem & Humanitatem tuam mihi in Sacramento communices, tanti facio ; ut omnia mundi pretiosissima, comparatione illius, velut lutum despiciam. Tu enim mihi, ô Jesu ! es omni melle & saccharo dulcior, omni auro pretiosior, omni honore præstantior, omnibus mundi deliciis infinitè charior : Quia in te uno perfectissimè sunt omnia.

*Gratiarum actio.*

**Q**Uas verò grates referam liberalitatē tuæ infinitæ, ô Beneficentissime Jesu !

su! pro innumeris donis tuis, præsertim  
dono omnium præstantissimo. Te ipso?  
Utinam omnia membra mea verteren-  
tur in linguas, quibus liberalitatem tu-  
am immensam cæterasque excellentias  
laudarem & prædicarem O Servator  
mi! quoties respiro, toties tibi gratias  
agere desidero, quod esurientem ani-  
mam meam corpore & sanguine tuo re-  
ficias, & ad me hominem peccatorem  
divertas.

*Oblatio.*

**S**ed quid retribuam, tibi Domine, pro  
omnibus, quæ retribuisti mihi? quid  
habeo ego pauperulus, quod reddam  
Infinitati tuæ? Præbe, inquis, Fili mi,  
cor tuum mihi. Ah! Domine nimis id te-  
pidum & vitiis plenum est! emunda,  
orna, perfice cor meum, & libentissimè  
totum offeram, ac cum S. Ignatio pre-  
cabor: Suscipe Domine universam me-  
am libertatem, accipe memoriam, in-  
tellectum, atque voluntatem omnem:

F s

quid-

quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum: Amorem tui solum, cum gratia tua mihi dona, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultrà posco.

*Dilectio.*

**O** Jesu amabilissime, propter infinitam Bonitatem & Amabilitatem tuam, amo te supra omnia, & omnium Sanctorum cordibus ardentissimè te amare desidero; Et cum S. Francisco Xavero, ad pedes tuos prostratus ex animo dico:

**O** Deus ego amo te!

Nec amo te, ut salves me:

Aut quia non amantes te,

Æterno punis igne;

Tu tu, mi Jesu, Totum me

Amplexus es in cruce:

Tulisti clavos, lanceam,

Multamque ignominiam,

Innumeros dolores,

Sudores & angores,

Ac

Ac mortem ; & hæc propter me,  
 Ac pro me peccatore.  
 Cur igitur non amem te,  
 O Jesu amantissime !  
 non ut in cœlo salves me,  
 Aut ne æternum damnes me.  
 Nec præmii ullius spe;  
 Sed sicut tu amasti me,  
 Sic amo & amabo te,  
 Solùm quia Rex meus es,  
 Et solùm quia Deus es.

*Petitio ad cœlestem Medicum.*

**O**Cœlestis Samaritane ! Ecce quot plagi  
 peccatorum saucius, quod mor-  
 bis vitiorum afflictus, jaceo. Domine,  
 si vis, potes me sanare. Nam ecce lan-  
 guent aures & oculi curiositatis vitio;  
 sana me & averte, ne videant vanita-  
 tem. Languet lingua & os gulæ & lo-  
 quacitatis morbo; Ah ! pone custodiam  
 ori meo, & ostium circumstantiæ labiis  
 meis. Languet cor amore proprio, &  
 corpus totum peccati fomite; deprecor  
 te, tolle illum à me. Languet anima su-

perbiæ, iræ & concupiscentiæ febribus,  
illas obsecro, rore gratiæ tuæ extingue.  
Languent manus, ne laborent pro glo-  
ria tua: Languent pedes, ne ambulent  
in viis tuis, confirma me, Domine, in  
haec hora, & statue pedes meos tanquam  
cervorum, ut alacriter viam mandato-  
rum tuorum currat; donec videam fa-  
cie ad faciem, in cœlo, quem nunc  
veneror in Sacramento. Amen.

*Addi possunt Litaniæ de Nomine JESU.*

Quas vide in fine.

Licebit etiam commendare in vulnera  
Christi Parentes, Amicos, Benefacto-  
res, Infideles, Hereticos &c. juxta  
præixin pag. 31. & animas certorum de-  
functorum juxta pr. pag. 33.

Si festum sit indulgentiarum privilegio do-  
natum, tanti thesauri participem te red-  
des orando s. Pater & Ave pro exal-  
tatione S. Ecclesiæ, extirpatione here-  
sum, & concordia Principum Christia-  
norum.

Ubi

*Ubi semihoram, vel si per tempus non liceat,  
saltem horæ quadrantem gratiarum  
actioni dederis, dic :*

**R**ecedo à te paululum, mi Jesu, sed  
non sine te. At non dimittam te,  
nisi benedixeris mihi, ô Benedicte in  
sæcula !

*Benedictio.*

**M**ichi indignissimæ Creaturæ suæ be-  
nedicat † Deus Pater, & † Filius,  
& Spiritus † Sanctus. Amen

*Domum redux è libello pio quidpiam leges;  
diem communionis reliquum modestius  
impendes, memor sèpius tanti beneficij,  
Et aliquem affectum ex subjunctis seliges,  
quem velut symbolum aut tesseram per  
diem crebriùs repetas.*

*Affectus pii die Communionis  
usurpandi.*

*O Sacrum convium, in quo Christus  
sumitur !*

*Benedictum sit sanctissimum Altaris  
Sacramentum.*

Mane nobiscum Domine, quoniam  
advesperascit.

Qui manducat meam carnem, & babit  
menim sanguinem in me manet, & ego  
in eo. O quanta felicitas!

Qui manducat hunc panem, vivet in  
æternum.

Vivat Jesus Eucharisticus!

Amo te, Jesu suavissime, præ omni  
dulcedine & gustūsu suayitate.

Amo te, Jesu castissime, supra omnes  
carnis illecebras & voluptates.

Amo te, mi Jesu, præ omnibus mun-  
di divitiis & honorum titulis.

### ORATIONES

Pro vitæ statu eligendo.

**P**Er diem sæpius utere hoc velut symbo-  
lo: Domine quid me vis facere? præ-  
cipue in sacro, sub elevatione, vel expo-  
sito Venerabili: durante deliberatione sæ-  
pius sacram synaxin adi E Christo tibi  
præsenti dic: Loquere Domine quia audis  
servustus. i. Reg. 39. ac sequentibus  
indies utere precibus.

Ora-

*Oratio ad Deum Patrem, ex lib.**Sap. c. 9.*

**D**a mihi, Domine, sedium tuarum  
assistricem sapientiam; mitte illam  
de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitu-  
dinis tuæ, ut mecum sit, & mecum la-  
boret, ut sciam quid acceptum sit apud  
te Domine Deus: sensum enim tuum quis  
sciet, nisi tu dederis Sapientiam, & misera-  
ris Spiritum Sanctum tuum de Altissimis.

*Oratio ad Spiritum S.*

**V**eni Sancte Spiritus, reple tuorum  
corda fidelium, & tui amoris in eis  
ignem accende.

V. Emitte spiritum tuum & creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

*Oremus.*

Deus qui corda fidelium, sancti Spiri-  
tus illustratione docuisti, da nobis in eo-  
dem Spiritu recta sapere. & de ejus sem-  
per consolatione gaudere. Per Christum  
Dominum nostrum. Amen.

*Oratio ad Christum.*

**O**Jesu amantissime via vera ad vitam,  
ego

ego sum puer parvulus & ignorans e-  
gressum & introitum meum, tu verò æ-  
terna Patris Sapientia omnia nōsti. Qua-  
re me tibi indifferentem listo, & prom-  
ptum offero, ut sequar te quocunque me  
vocaveris. Si me in Mundo sacerdalem  
tibi servire vis: ecce me, tantùm tri-  
bue, ne à statu hoc degenerem vitam  
instituam. Si me in Ordine religioso, ti-  
bì per vota arctius obstrictum desideras;  
ecce me, paratum cor meum; tantùm  
trahe me & currat in odorem unguen-  
torum tuorum; nec Dæmon, nec Caro,  
Mundus, nec omnia, quæ in eo sunt, à se-  
quela tua me retardabunt. Id unum ob-  
secro, vias tuas Domine demonstra mi-  
hi, & semitas tuas edoce me.

*Oratio ad B. Virginem.*

**O**Maria, inventrix gratiæ, & janua vi-  
tæ, ego intrivio constitutus pericu-  
lorumque mihi impendentium ignarus  
ad maternum sinum tuum configio, &  
lumen, opemque efflagito. Intercede  
pro

pro me apud Filium tuum dilectum, ne statui illi implicer, in quo me æternum peritum prospicit, sed ad illum me vocet, in quo salutem consecutum prævidet. En ego in manu tua & filii tui, sicut lutum in manu figuli. ô siam vas in honorem & non in contumeliam, ut sequar, laudem & glorificem Filium tuum cum Sanctis in æternum, Amen.

*Oratio ad S. Angelum  
Custodem.*

**O** Angel mi custos; me illumina, rege, & Deum roga, ut absque errore, illum vitæ statum amplectar, in quo sanctius ei serviam, altiorem perfectionis gradum concordere valeam, quo tecum Deum clarius videam; & ardentius amem, in sacula, Amen.

*Oratio pro constantia in vocatione.*

**D**omine Deus meus, qui viam mihi monstrasti in qua ambulem, da ut

Ut voluntatem tuam quantocyus compleam, omnia impedimenta vincam, atque in statu tibi placito usque ad mortem perseverem. Tu qui dedisti cognoscere ac velle, da & perficere. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Si diu anceps hæreas, nec resolvere te  
valeas, exercitiis S. P. Ignatii vaca,  
aut decendialem pietatem institue,  
praxi sequente.*

### P R A X I S.

Decendialis pietatis erga Christum Crucifixum & S. Franciscum Xuverium; vel, paucis mutatis, Novendialis erga S. Antonium Paduanum.

Concepta maxima in Christum Crucifixum & S. hunc Thaumaturgum fiduciâ, propositum facies praestandi quedam opera pia. E multis pauca subjungo; quæ, vel saltem eorum aliqua, per manus S. Xaverii Deo offeres, verbis sequentibus.

*Formula offerendi.*

O Mnipotens sempiterne Dens, ego N. N. licet divino conspectu tuo indignissi-

nissimus, fretus tamen Pietate & misericordiâ tuâ infinitâ; propono (*nihil autem vovebis, nisi consulto Confessario*) coram Sacratissima Virgine Maria & S. Francisco Xaverio Indianum Apostolo instituere decendialem pietatem & per decem dies Veneris cum gratiâ tuâ praefare sequentia.

*Opera pia offerenda.*

1. Per S. Xaverium offeram Deo Sacrum.

Animum exhomolegesi faciat expiatum, epulo divino reficiam.

3. Orabo 10. Pater & Ave, cum totidem. Gloria Patri. &c.

4. Recitabo officium & litanias de passione Domini, vel de S. Xaverio vel de B. V. vel omnibus sanctis.

5. Legam per quadranteim vel semihoram nonnihil de Passione, vel Vita Christi, aut S. Xaverii.

6. Ad honorem Christi patientis & S. Xaverii jejunio carnem domabo.

7. Mortificabo & cayebo vitium illud,  
quod

quod me maximè infestat, & virtutem contrariam exercebo.

8. Dabo eleemosynam indigenti, vel aliud è septem operibus misericordiæ corporalibus præstabo.

9. Aut saltem unum è 7. operibus misericordiæ spiritualibus perficiam v. g. orando pro conversione Ethnicorum, Hæreticorum, peccatorum, vel pro Fidelibus defunctis.

*Si morbus vel causa justa die Veneris me impedit, supplebo alio die.*

**A**TUA ergo immensa Bonitate & Clementia per Jesu Christi sanguinem, & S. Xaverii intercessionem peto suppliciter, ut propositum hoc benignè admittere digneris, & ut largitus es ad hoc offerendum, ità etiam ad explendum gratiam überem largiaris.

Offero autem hæc omnia, eo fine, ut divina tua, infinitaque Liberalitas, quæ in S. Xaverio tam mirificè eluxit, mihi quoque minimo famulo tuo largiter conferre dignetur. (*Hic subjungenda, quæ petis*

petis, v. g. castitatem, charitatem vel aliam virtutem; robur ad superanda vitia & tentationes mihi maximè periculosas (has vel illas) gratiam agnoscendi & ad mortem usque perseverandi in eo statu, in quo vis me esse, ut sic aeternum salvari possim, Sanitatem integrum, si ad gloriam tuam, animaq; meæ salutem conductat Eccl.) Utque hæc obtineam, ora pro me S. Francisci Xaveri, una cum B.V. Maria, S. Angelo Custode meo, omnibusque in cœlo regnantibus Sanctis.

### *Scientia ad Salutem necessaria.*

Inter dogmata fidei nostræ quedam sunt scitu necessaria necessitate mediæ, quorum cognitio tanquam omnino necessarium medium requiritur ad aeternam salutem, & qui eâ caret, salutem consequi nequit. Ejusmodi à nonnullis Doctoribus censentur sequentia.

Punæ

*Puncta scitu necessaria necessitate medii.*

1. Quod Deus unus sit omnium Creator.

2. Quod idem sit omnium Gubernator.

3. Quod Deus sit omnium Iudex.

4. Quod anima hominis sit immortalis.

5. Quod gratia Dei sit ad salutem necessaria.

6. Quod Deus sit trinus in Personis.

7. Quod Filius Dei sit incarnatus & passus.

*Alia sunt scitu necessaria necessitate præcepti, quorum scientia sub peccato præcepta est. Quorum tamen scientia per invincibilem ignorantiam, aut impotentiam excusari potest.*

*Necessitate Præcepti.*

1. Symbolum apostolorum, seu Credo. 2. Pater noster. 3. Decalogus. 4. Præcepta

cepta Ecclesiæ. ¶ E septein Sacramen-  
tis tria, Baptismus, Pœnitentia, Eu-  
charistia, reliqua cùm suscipiuntur. Ad-  
dunt aliqui signum crucis, & salutationem  
angelicam,

Hæc addiscere tenentur omnes, quam-  
primum rationis usum attingunt, ut  
saltem substantiam horum punctorum  
rudi modo intelligant. Non autem suf-  
ficit sola memoria instar psittacorum il-  
la recitare. Parentes, Parochi, Lu-  
dimagistri obligantur, ut suos ea do-  
ceant: Domini, ut domesticos in illum  
finem mittant ad Catechesin.

### Judicium & motiva prudentis credibilitatis.

Judico firmiter, omnia & singula Ca-  
tholicæ Fidei Mysteria, dignissima es-  
se, ut credantur firmissimo actu fidèi divi-  
næ, tanquam à Deo dicta, ideoque cer-  
tissima, Judico etiam indubitanter, o-  
mnes errores fidei Catholicæ contrarios  
meritò rejiciendos esse, tanquam falsis-  
simos,

simos, & Dei verbo adversantes. Ideo  
verò ista sic judico, quia Ecclesia Ca-  
tholica nobis illa proponit credenda  
tanquam à Deo revelata, & quia ab hâc  
Ecclesiâ veram fidem & religionem do-  
ceri, tot notis mihi manifestatur, ut hoc  
valde prudenter possim affirmare, & de  
eo prudenter ambigere, vel formidare  
non possim.

Hæc enim Ecclesia primò *Una* est: sive  
idem omnino de omnibus fide divina  
credendis, quovis loco & tempore, sinè  
ulla dissensione docet, & sentit; cum  
contrariæ sectæ etiam in gravissimis fi-  
dei mysteriis inter se, & ipsæ secum val-  
de discordes sint; ideoque tam necessa-  
riò in iis errant, quām impossibile est,  
idem simul esse & non esse.

Secundò: Eadem Ecclesia *Sancta* est,  
sive nullius impiæ doctrinæ convinci po-  
test, sed potius sanctissima tradit dog-  
mata fidei & morum, quibus qui con-  
gruenter vivit, certò sanctus evadit, uti  
omnibus sæculis à Christo usque in præ-  
sen-

deo  
Ca-  
nda  
hâc  
do-  
noc  
; de  
arc  
five  
ina  
inè  
um  
fi-  
val-  
fla-  
est,  
est,  
po-  
og-  
on-  
utì  
ræ.  
en-

sentem diem , plurimi uti iusque sextus in eadem Ecclesiâ, ad veram sanctim o- niam & beatitudinem pervenire; cùm ejus adversarii multa doceant impia , & veræ virtuti inimica , quæ à vera sancti- tate & beatitudine homines plurimum impediunt & avertunt.

Tertiò , Eadem Ecclesia *Catholica* est, per omnes quatuor mundi partes & ple- rasque regiones diffusa ; cùm aliæ sectæ paucorum locorum terminis constrin- gantur .

Quartò , Eadem Ecclesia *Apostolica* est, erectora ab ipsomet Christo , qui se Dei Filiū , & verum Deum esse plurimis maximisque miraculis demonstravit ; Propagata verò est per Apostolos & Christi Discipulos , eorumque successo- res , & quemadmodum legitimos habet , & habuit Christi Vicarios , & D. Petri Successores ; ità semper constanter perse- veravit , & perseverat in illa Fide & Doctrina , quam Christus ipse ejusque

G

Apo-

Apostoli docuere; cum nihil horum de aliis sectis vere possit affirmari.

Quintò, Pro Fidei Catholicæ Veritate fortissimè & sanctissimè mortem & tormenta plurimi sancti Martyres subiere.

Sextò, Pro eadem veritate confirmandâ innumera certissimâque facta sunt miracula, quorum ne unicum quidem in confirmationem contrariarum religionum unquam est patratum. Propter hæc aliaque signa (quæ longum esset hic recensere) judico ita manifestum esse, quod religionis nostræ mysteria prudenter, & honestè credi possint & debeant firmissimo fidei assensu, ut Deus ipse meritò dici posset nos decepisse, nisi vera essent ea, & à Deo dicta; quæ notæ istæ ostendunt prudentissimè credi posse tanquam à Deo ipso revelata; cum tot, tales, tantæque notæ non possint, nisi à Deo provenire, nec falsæ religioni competere. Ut enim lumine rectæ rationis demonstratur, unicum tantum verum Deum esse, eumque sapientissimum

muni-

mundi hujus gubernatorem; nec dubitari  
 potest, quin sapientissima ejus providen-  
 tia, gloriæ suæ amantissima, aliquam ha-  
 beat Ecclesiam, quæ de Deo rebūisque  
 divinis rectè sentiat & legitimum diuinæ  
 Majestati cultum deferat; ità non nisi  
 stolidé negari potest, veram istam Dei  
 Ecclesiam illam esse, in qua sola, illa,  
 quæ indicavi signa multoque plura repe-  
 riuntur: Cùm simile nihil in sectis nostræ  
 contrariis inveniatur. Certè à sapien-  
 tiissimâ Dei providentiâ alienum est per-  
 mittere, nedum ordinare, ut falsa religio  
 pro se habeat, vera Dei Ecclesia careat,  
 tot talibūisque signis, quæ dogmata no-  
 stræ fidei reddunt prudentissimè credi-  
 bilia, cùm alias ad veram religionem  
 prudenter pervenire non possemus. Ju-  
 dico denique me rem optimam & Deo  
 pergratam, facturum, si actus fidei divi-  
 næ circa primaria fidei nostræ capita di-  
 ligenter exerceam; uti & voluntate de-  
 vota exerceo.

*Subjunge actus Fidei, Spei, Charitatis,  
Contritionis, quos habes p. 87. & seq.*

**PACTUM CUM DEO,**  
*Artificium ingentis meriti.*

**O**Mnipotens æterne Deus, Dominus ac Creator meus, ego vilissima creatura tua, amore & desiderio te continuò amandi, & absque ulla cessatione laudandi impulsus, cùm mentem meam humanæ vitæ conditio tuis laudibus indesinenter affixam esse non sinat, hoc tecum pactum inire cupio.

Quoties spiritum duxero, aut sanguis in vena motus fuerit, quot literas & verba scripsero aut pretulero, quoties membrum quocunque movero, nunc protunc declaro, toties me facere & exercere velle, omni meliore, quo fieri potest, modo, actus hosce sequentes, licet forte tunc ad hoc mentem minus adverterem.

Toties, inquam, àdoro te summâ, qua fieri potest, demissione; gaudeo & glorior tibi ex animo ob infinitas perfe-

*& tio-*

fectiones tuas; gaudeo propter opera bona, quæ unquam honori tuo ab ulla Crea-  
 tura facta sunt; sièntque deinceps, quæ  
 vellem omnia ego ipse præstitisse. To-  
 ties intensissimo ego omnium Sanctorum  
 & Angelorum affectu ex toto corde amo  
 super omnia bonitatem tuam, & ex hoc  
 amore summè doleo de peccatis meis  
 omnibus totius vitæ; spero ex infinita  
 tua misericordia per Christi merita co-  
 rum veniam: propono cum gratia tua  
 mori potius, quam te post hac offendere.  
 Doleo pariter ob tot peccara ab initio  
 mundi hucusque à quocunque hominum  
 commissa. Toties in manus tuas com-  
 mendo me, & mea omnia; præsertim  
 finem vitæ meæ, ut disponas de me, pro  
 ut visum fuerit divinæ voluntati tuæ, cui  
 me totum in omnibus plenè conformo.  
 Toties in unione omnium meritorum  
 Christi, & B. Virginis Mariæ, & om-  
 nium Sanctorum offero divinæ Majesta-  
 ti tuæ omnia mea verba, cogitationes  
 & opera, ut ea cedant unicè ad sanctissimi

simi nominis tui gloriam & exaltationem. Toties offero tibi passionem Domini nostri Jesu Christi, & merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, nec non omnia missæ sacrificia, quæ hactenus peracta sunt, & usque ad consummationem sæculi peragentur, in gratiarum actionem pro beneficiis corporis & animæ, à te mihi præstatis, pro omnibus peccatis meis, ad impetrandam gratiam & gloriam æternam. Hæc omnia toties rata grata & iterata volo, quoties possibile est id ipsum iterari, aut multiplicari; atque hoc purè ob amorem tui, omnèsque bonos & S. fines, quos habuit Christus Dominus; B. V. omnes Sancti, aut qui ab ullo haberi possunt. Tu, mi Deus, gratum habe hoc meæ servitutis obsequium & sinceri amoris testimonium.

*Vim & valorem hujus actus à contrario colligere licet: Si quis enim statueret secum se toties velle, Deo maledici, eum blasphemari &c. se ratum habere quidquid in*

do,

toto, mundo fieret mali, optaretque se e-  
jus esse participem; quantà is sese culpā  
obstringeret? Hoc itaque si in malo tam  
efficax est, quidni idem bono applicatum  
immensa virtutis & meriti erit?

*Testamentum hominis Christiani.*

In nomine Domini. Amen.

**E**go N. Animam meam redbo Crea-  
tori & Redemptori meo, Corpus  
terræ, unde prodiit restituo, libensque  
& volens exuo me omnibus temporali-  
bus, quæ sunt Vanitas Vanitatum. Doleo  
de peccatis meis omnibus, maximè istis  
N: N. eaque detestor, ideo solùm, quia  
Deum meum, quem amo supér omnia,  
illis ipsis offendì. Offensas omnes om-  
nibus amore Dei remitto, petoque vi-  
cissim id mihi ab omnibus fieri. Credo  
in te, ô suprema Veritas. Spero in te,  
ô æterna Felicitas. Gratias tibi ago O clem-  
entissima benignitas. Et Revereor te,  
ô tremenda Majestas. Amo te ô incom-  
prehensa Bonitas. Subjicio me penitus  
& perfectè omni illi, quidquid de me

sanctissima voluntas Dei disposuerit. Fias  
 voluntastua in me, à me, & de me nunc, &  
 in æternum. Commendo corpus & ani-  
 mam meam patrocinio Gloriosissimæ  
 Virginis Mariæ, Matris & Patronæ meæ  
 dilectissimæ; S. Josephi, S. Angeli mei  
 Custodis, Patronorum & omnium San-  
 ctorum, quos demississimè obtestor, ut  
 mihi adesse velint nunc, & in hora mor-  
 tis meæ. Ultima mea verba erunt Jesus,  
 Maria, Joseph: In horum amplexu vive-  
 re & mori volo; & si sancta hæc nomi-  
 na tum lingua non posset eloqui, elo-  
 quetur illa cor meum; & si usu rationis  
 in hora mortis destituar, jam protestor,  
 jam enuntio pro tunc, omni possibili ar-  
 dore, reverentiâ, & submissione Jesus,  
 Maria, Joseph. Deus meus in manus  
 tuas commendo spiritum meum.

### LITANIE

*de Nomine Iesu.*

**K**Yrie eleison, Christe eleison,  
**K** Kyrie eleison.  
 Christe audi nos.  
 Christe exaudi nos.

Pa-

Pater de cœlis Deus,  
 Fili redemptor mundi Deus,  
 Spritus Sancte Deus.  
 Sancta Trinitas unus Deus,  
 Iesu Fili Dei vivi,  
 Iesu potenissime,  
 Iesu fortissime,  
 Iesu perfectissime,  
 Iesu glorioissime,  
 Iesu mirifice,  
 Iesu jucundissime,  
 Iesu charissime,  
 Iesu clarior Sole,  
 Iesu pulchrior Lunâ,  
 Iesu splendidior stellis,  
 Iesu admirabilis,  
 Iesu delectabilis,  
 Iesu honorabilis,  
 Iesu humillime,  
 Iesu pauperrime,  
 Iesu mitissime,  
 Iesu patientissime,  
 Iesu obedientissime,  
 Iesu castissime,

G f

Miserere nobis.

Iesu

Iesu amator castitatis,  
 Iesu amator pacis,  
 Iesu amor noster,  
 Iesu speculum vita,  
 Iesu exemplar virtutum,  
 Iesu Decus morum,  
 Iesu zelator animarum,  
 Iesu refugium nostrum,  
 Iesu Pater pauperum,  
 Iesu consolatio afflictorum,  
 Iesu thesaurus fidelium,  
 Iesu gemma pretiosa,  
 Iesu armarium perfectionis,  
 Iesu bone paster ovium,  
 Iesu stella maris,  
 Iesu lux vera,  
 Iesu sapientia æterna,  
 Iesu bonitas infinita,  
 Iesu gaudium Angelorum,  
 Iesu Rex Patriarcharum,  
 Iesu inspirator Prophetarum,  
 Iesu magister Apostolorum,  
 Iesu Doctor Evangelistarum,

Miserere nobis.

Iesu

Iesu fortitudo Mârtymrum,  
 Iesu lumen Confessorum,  
 Iesu sponsa Virginum,  
 Iesu corona Sanctorum omnium,  
 Propitius esto, parce nobis Iesu.  
 Propitius esto, exaudi nobis Iesu.  
 Ab omni malo, libera nos Iesu.  
 Ab omni peccato, libera nos Iesu.  
 Ab ira tua, libera nos Iesu.  
 Ab insidiis Diaboli libera nos Iesu.  
 A peste, fame, & bello, libera nos Iesu.  
 A transgressione mandatorum tuorum,  
 Ab incursum omnium malorum,  
 Per Incarnationem tuam,  
 Per Adventum tuum.  
 Per Nativitatem tuam,  
 Per Circumcisionem tuam;  
 Per dolores tuos,  
 Per flagella tua,  
 Per Mortem tuam,  
 per Resurrectionem tuam,  
 Per Ascensionem tuam,  
 Per gaudia tua,  
 Per gloriam tuam.

Mis. nob.

Libera nos Iesu.

Per

G 6

Per dulcissimam Virginem Matrem  
tuam, Libera nos Iesu.

Per intercessionem omnium Sanctorum  
tuorum, Libera nos Iesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Parce nobis Iesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Exaudi nos Iesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,  
Miferere nobis Iesu.

Iesu Christe, audi nos. Iesu Christe, exaudi  
Kyrie eleiton. Christe eleison. (nos.  
Kyrie eleison. Pater noster, &c.

¶. Et ne nos inducas in temptationem.

¶. Sed libera nos à malo.

¶. Domine exaudi orationem meam.

¶. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

**D**eus, qui glorioſiſſimum nomen Domini  
noſtri Iesu Christi unigeniti Filii tui fecisti  
fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile,  
& malignis ſpiritibus tremendum atque terri-  
bile: concede propitius, ut omnes qui hoc No-  
men Iesu devotè venerantur in terris, ſanctæ  
consolationis dulcedinem in præſenti Pere-  
cipiant, & in futuro gaudium exultationis & in-  
terminabilis jubilationis obtineant. Per eun-  
dem Dominum noſtrum Iesum Christum, &c.

## P R A X I S.

*Respondendi ad aram facienti.*

**S**acerdos, Introibo ad altare Dei.

**S**anctus Minister, Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

**S.** Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non Sancta, ab homine iniquo & doloso erue me.

**M.** Quia tu es Deus fortitudo mea? quare me repulisti & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

**S.** Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem Sanctum tuum, & in tabernacula tua.

**M.** Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

**S.** Confiteor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare turbas me?

**M.** Spero in Deo, quoniam adhuc adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, & Deus meus.

*S.* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

*M.* Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæculâ sæculorum, Am.

*S.* Introibo ad altare Dei.

*M.* Ad Deum, qui lætificat Juventutem meam.

*S.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

*Signant se quoque Ministri.*

*M.* Qui fecit cœlum & terram.

*S.* Confiteit̄ Deo, &c.

Dominum Deum nostrum.

*M.* Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

*S.* Amen.

*De missa non nihil capite.*

*M.* Confiteor Deo omnipotenti, Beatae Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Ioanni Baptista, sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus sanctis, & tibi Pater: quia peccavi nimis Cogitatione, verbo

bo & opere: mea culpa, mea culpa,  
mea maxima culpa. Ideo precor bea-  
tam Mariam semper Virginem, Bea-  
ram Michaëlem Archangelum, Bea-  
tum Ioannem Baptistam, Sanctos A-  
postolos Petrum & Paulum, omnes  
Sanctos, & te Pater: orare pro me  
ad Dominum Deum nostrum.

*S.* Misereatur vestri, &c.

vitam aeternam.

*M.* Amen.

*S.* Indulgentiam, absolutionem. & re-  
missionem peccatorum nostrorum  
tribuat nobis omnipotens & miseri-  
cors Dominus.

*Signant se quoque servientes.*

*M:* Amen.

*S.* Deus tu conversus vivificabis nos.

*M.* Et plebs tua lætabitur in te.

*S.* Ostende nobis Domine misericor-  
diam tuam.

*M.* Et salutare tuum da nobis.

*S.* Domine exaudi orationem meam.

*M.* Et clamor meus ad te veniat.

*S. Do-*

*S.* Dominus vo vobiscum.

*M.* Et cum spiritu tuo.

*S.* Kyrie eleison.

*M.* Kyrie eleison.

*S.* Kyrie eleison.

*M.* Christe eleison.

*S.* Christe eleison.

*M.* Christe eleison.

*S.* Kyrie eleison.

*M.* Kyrie eleison.

*S.* Dominus vobiscum.

*M.* Et cum spiritu tuo.

*Si dicat.*

*S.* Hectamus genus.

*M.* Levate.

*S.* Per omnia sœcula sœculorum.

*M.* Amen.

*In fine Epistola.*

*M.* Deo gratias.

*S.* Dominus vobiscum.

*M.* Et cum spiritu tuo.

*S.* Sequentia S. Evangelii. &c,

*M.* Gloria tibi Domine,

*In*

*In fine Evangelii.*

*M.* Laus tibi Christe.

*S.* Dominus vobiscum.

*M.* Et cum spiritu tuo,

*S.* Orate Fratres.

*M.* Suscipiat Dominus Sacrificium  
de manibus tuis, ad laudem, & glo-  
riam nominis sui, ad utilitatem qua-  
que nostram, totiusq; Ecclesiae suæ  
Sanctæ.

*S.* Per omnia sæcula sæculorum.

*M.* Amen.

*S.* Dominus vobiscum.

*M.* Et cum spiritu tuo.

*S.* Sursum corda.

*M.* Habemus ad Dominum,

*S.* Gratias agamus Domino Dō nostre.

*M.* Dignum & justum est.

*S.* Per omnia sæcula sæculorum,

*M.* Amen.

*S.* Et ne nos inducas in temptationem.

*M.* Sed libera nos à malo.

*S.* Per omnia sæcula sæculorum,

*M.* Amen.

*S.*

S. Pax Domini sit semper vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Ite, Missa est.

M. Deo gratias.

*In Sacro pro defunctis.*

S. Requiescat in pace.

M. Amen.

S. Benedicat vos omnipotens & misericors Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo,

S. Initium, vel sequentia sancti Sancti Evangelii secundum

M. Gloria tibi Domine.

*In fine Evangelii.*

M. Deo gratias.

IN-

(163)

## INDEX.

- Praxis piè surgendi. pag. 3.  
Praxis formandi piam intentionem 11.  
Orandi ante & post studia 21.  
Orandi ad trinum pulsū 24.  
De Sacrificio Missæ 25.  
Praxis audiendi Missam 26.  
Communionis Spiritualis 34.  
Orandi Rosarium 37.  
Officium Immaculatæ Conceptionis  
B. V. 39.  
Variæ Orationes ad Sanctos 51.  
Orationes pro defunctis 57.  
Praxis piè prandendi 62.  
Instituendi preces vespertinas 64.  
Litaniæ Lauretanæ B. V. 65.  
Examen conscientiæ, pag. 69.  
Praxis præparandi sed ad confessio-  
nem 78.  
Actus virtutum 87.  
Praxis Confessionis. 99.  
Methodus extirpandi vitia 102.  
Praxis piè communicandi 109.

Orá-

Orationes pro eligendo vitæ statu 134.

Praxis decendialis pietatis &c. 138.


Scientia ad salutem necessaria 141.

Pactum cum Deo. 148.

Testamentum hominis Christiani. 151.

Litaniæ de SS. Nomine JESU. 152.

Praxis respondendi Sacerdoti ad A-  
ram. 157.










Oratio  
Benedictum.  
dulie nomen Domini  
nostris Iesu Christo  
et gloriosissimo  
Virginis Mariae  
Matris ejus. Amen  
Nos cum prole  
mia benedicat  
Virgo Maria  
Amen







Th  
1739